Programm

des

Königlichen Gymnasiums

zu

Tilsit.

Ostern 1877.



Inhalt:

1) Abhandlung des ordentl. Lehrers Hermann Plew de ellipsi verbi copulativi esse apud poetas latinos.
2) Schulnachrichten. Vom Direktor.

Tilsit, 1877.
Druck von Heinr. Post.

1877. Progr. Nr. 27.



De ellipsi verbi copulativi esse apud poetas latinos.

Quamquam verbum substantivum sive existentiae esse, si copulae locum tenet, nonnumquam a poetis latinis omitti notum est, tamen quibus hoc conditionibus fiat, neque satis exploratum neque dilucide explicatum est. Nam Stern in libro, qui inscriptus est „Grundriß einer Grammatik für römische Dichter" pag. 87 et 88 nihil aliud ad hanc rem attulit, quam quod Wagnerus in quaestionum Vergilianarum parte altera voluminis quarti de verbo est vel omisso vel adjecto disseruit. Wagnerus autem, vir ille doctissimus, non solum vehementer erravit arbitratus, verbum esse in sententiis tantum non ex conjunctione aut relativo aliquo suspensis omissum esse, sed etiam non accurate atque exquisite disseruisse mihi videtur, qua ratione poeta illud verbum omissum passus sit. Quapropter operibus complurium poetarum pervolutis et perspectis constituere conabor, quatenus ellipsis verbi copulativi, forma infinitivi excepta, apud Lucretium, Catullum, Tibullum, Propertium, Vergilium, Ovidium, Horatium, Persium, Juvenalem, Martialem, Lucanum, Statium, Silium Italicum, Valerium Flaccum locis quam plurimis exhibitis reperiatur. Quod ad priscos scriptores latinos attinet, vide syntaxim priscorum scriptorum latinorum usque ad Terentium Vol. II. p. 1—5 et de Lucretio syntaxis Lucretianae lineamenta scripta a Fr. Guilelmo Holtze.

I.

Poetae verbum est saepius non adjunxerunt adjectivis neutrius generis, quibus inest aut animi affectionis aut comparationis quantitatisque aut facultatis potestatisque aut notitiae aut dubitationis notio. Enumeranda sunt adjectiva: mirum, dulce, turpe; aptum, dignum, aequum, utile, magnum, longum, praecipuum, paulum; pote, pronum, promptum, fatale; notum, vulgatum, ignotum, inexpertum, suetum; dubium, ambiguum, incertum, non exactum, anceps.

Mirum legitur apud Hor. sat. II, 1, 54: — mirum, ut neque calce lupus quemquam neque dente petit bos. Stat. Theb. III, 482. Theb. IX, 875. Mart. IX, 71, 2. Nec mirum: Lucret. II, 338. Catull. 62, 14. Prop. I, 13, 29. Stat. silv. V, 1, 43. 81. V, 2, 15. Theb. II, 265. Neque enim mirum: Lucret. II, 87. non igitur mirum: Ov. ex Pont. I, 1, 67. quodque magis mirum: Ov. Met. XV, 317. Mart. I, 48. Dulce. Stat. Theb. IV, 30: fugientia carbasa visu dulce sequi. Theb. V, 47. VI, 264. X, 480. In enuntiatione relativa invenitur apud Stat. Theb. VI, 691: cui spes infringere dulce immodicas. Turpe. Ovid

Met. IX, 16: turpe deum mortali cedere. Ov. Amor. I, 10, 39. Her. VIII, 25. ex Pont. II, 3, 6. Luc. Phars. IX, 108. Sil. Ital. Pun. III, 172. Val. Arg. I, 361. Aptum in enuntiatione relativa legitur apud Stat. Theb. II, 150: locumque, quo serere arcanas aptum atque evolvere curas, insidunt. Dignum. Stat Theb. XII, 499: ipsos nam credere dignum coelicolas. In enuntiatione relativa legitur apud Sil. Ital. Pun. VII, 540: Dabit improbus, inquit, quas dignum poenas. Aequum. Val. Arg. IV, 621: Sed te non animis nec solis viribus aequum credere. Utile. Juv. VI, 240. Magnum. Sil. Ital. Pun. XI, 163: Magnum atque in magnis positum populisque virisque adversis servare fidem. Longum. Stat. Achill. I, 140: sed longum cuncta enumerare. Stat. Theb. II, 163. IX, 233. X, 264. Praecipuum. Stat. Theb. IV, 79: seu quis mutare potentes praecipuum. Paulum. Stat. Theb. XII, 540: Paulum et ab insessis moestae Pelopides aris promovere gradum. Pote. Verg. Ciris 227: neque enim pote. Cat. 17, 24. 67, 11. 76, 16. 99, 1. Prop. II, 1, 46. IV, 7, 10. Pers. I, 56. Val. Arg. IV, 680. Pronum Stat. Theb. VII, 279: cognoscere pronum, virgo, lyram. Sil. Ital. Pun. XIII, 183. Promptum. Luc. Phars. IX, 937: et cujus morsus superaverit anguis jam promptum Psyllis vel gustu nosse veneni. Stat. Theb. XI, 37. Sil. Ital. Pun. XV, 16 Fatale. Stat. Theb. IX, 258: e fluvio neutri fatale reverti. Notum. Sil. It. Pun. II, 21: notum, quid caede calentibus armis, quantum irae liceat, motusve quid audeat ensis. Juv. X, 353. Vulgatum. Sil. It. III, 17: vulgatum, nec cassa fides, ab origine fani impositas durare trabes. Ignotum. Stat silv. III, 3, 40: Neque enim mihi flere parentem ignotum. Val. Arg. IV, 193, ubi forma erat omissa est. Inexpertum. Pers. III, 52: Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores. Suetum in enuntiatione relativa legitur apud Stat. Theb. VI, 121: cui teneros suetum producere Manes lege Phrygia moesta. Sil. It. Pun. XII, 20, ubi forma erat omissa est. Dubium. Ov. Met. VI, 678: Sceptra loci rerumque capit moderamen Erechtheus, justitia dubium validisne potentior armis. X, 659. Ov. Am. III, 12, 13. Trist. IV, 4, 69. ex Pont. IV, 7, 23. Fast. VI, 335. VI, 503. Stat. silv. IV, 4, 21. Theb. III, 454. III, 115. VII, 742. Luc. Phars. VII, 172. Ambiguum. Ov. Met. I, 765: Ambiguum, Clymene, precibus Phaetontis an ira mota magis dicti sibi criminis, utraque coelo bracchia porrexit. XI, 236. ex Pont. IV, 13, 29. Incertum. Luc. Phars. III, 258: et incertum, tellus si misceat amnes. In enuntiatione relativa legitur apud Stat. silv. II, 1, 225: quibus unde dies suprema, quis aevi exitus, incertum, quibus instet fulmen ab astris, quae nubes fatale sonent. Non exactum. Ov. Am. III, 7, 16: et non exactum (erat), corpus an umbra forem. Anceps. Hor. Sat. II, 1, 34: Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps. Addenda sunt nonnulla exempla, in quibus apud adjectivum neutrius generis verbum copulativum omittitur, quo oppositione artiore quadam vis atque gravitas adjectivi augeatur. Verg. Ecl. III, 80 sqq. (D.) Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, arboribus venti, nobis Amaryllidis irae. (M.) Dulce satis umor, depulsis arbutis haedis, lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas. Ov. Am. I, 9, 4: turpe senex miles, turpe senilis amor. Ov. Rem. am. 659: turpe vir et mulier, juncti modo, protinus hostes. Verg. Aen. IV, 570: Varium et mutabile semper femina. Hor. Od. I, 24, 19: Durum, sed levius fit patientia, quidquid corrigere est nefas. Ov. ars am. III, 495: Nec nisi deletis tutum rescribere ceris. III, 767: Nec somnis posita tutum succumbere mensa. Ov. ex Pont. I, 6, 21: Nec breve nec tutum, peccati quae sit origo scribere.

Etiam participia complura perfecti neutrius generis poetae sine copula cum vi et gravitate ponunt. Sic reperiuntur datum, permissum, impositum, concessum, licitum, relictum, negatum,

vetitum, praevetitum, cessatum, pertaesum, ausum, ventum, visum, placitum, decretum, effectum, repertum, solitum, pugnatum. Datum sine copula legitur apud Stat. silv. III, 3, 52: Hanc ducibus frenare datum. Stat. Theb. V, 465. XII, 485. Val. Arg I, 322. Luc. Phars. I, 453. Sil. It. Pun. V, 410. XII, 704. In enuntiatione relativa datum legimus apud Stat. silv. II, 1, 84: cui prima per orbem jura animis sancire datum. Theb XII, 421. Sil. It. Pun. I, 14. Ov. Fast. V, 730. Permissum. Stat. silv. I, 4, 75: nec in otia pacis permissum laxare animos ferrumque recingi. Luc. Phars. V, 61. Impositum. Sil. It. Pun. X, 657: Tunc terga dedisse damnatis Siculas longe meritare per oras impositum, donec Latio decederet hostis. In enuntiatione relativa reperitur impositum apud Verg. Aen. VIII, 410: cui tolerare colo vitam tenuique Minerva impositum. Concessum. Luc. Phars. X, 301: solique vagari concessum per utrosque polos. Sil. It. Pun. V, 407. XI, 259. XIII, 646. In enuntiatione relativa concessum legitur apud Sil. It. Pun. VII, 218: Da famae, da, Musa, virum, cui vincere bina concessum castra, et geminos domitare furores. Licitum novies sine copula usurpat Silius Italicus, bis in enuntiatione relativa. Loci sunt hi: IV, 290: tibique haud licitum sacri Capitolia cernere montis. VI, 422. VII, 94 (adde erat). IX, 411. XIII, 746 (adde erat). XV, 608. XVII, 266 (adde fuit). XIII, 607 (adde erat). XIV, 198. Relictum. Stat. silv. II, 1, 55: nobis meminisse relictum. Luc. Phars. IV, 806, ubi forma erat omissa est. Negatum. Sil. It. Pun. I, 294: et Poenis urbi imperitare negatum. In enuntiatione relativa Stat. Theb. XII, 345: Ardebis lacrimasque feres, quas ferre negatum regibus. Vetitum. Stat. Theb. III, 624: vetitumque dari mortalibus armis. Praevetitum. Sil. It. Pun. XIII, 155: Praevetitum namque et capital (erat) committere Martem sponte viris. Cessatum. Sil. It. Pun. III, 6: Nec vatum mentes agitare et praescia corda cessatum super imperio. Pertaesum. Sil. It. Pun. II, 595: Sperare saluti pertaesum, damnantque cibos; agit addita Erinnys. Ausum. Sil. It. Pun. V, 443: Aspirare viro, proprioremque addere Martem haud ausum cuiquam. (erat). Ventum. Stat. Theb. X, 175: Ventum ad concilii penetrale domumque verendam signorum. VII, 424. Val. Arg. V, 404. Visum. Verg. Aen. II, 428: Dis aliter visum. Ov. Met. XII, 165. Fast. V, 706: sed visum celeri vincere turpe fuga. Stat. Theb. V, 57. In enuntiatione relativa Sil. It. Pun. XIV, 464. Placitum. Luc. Phars. X, 417: Latium sic scindere corpus diis placitum. Sil. It. Pun. VII, 264. XI, 611. Decretum. Stat. Theb. I, 246: Hanc etiam poenis incessere gentem decretum. Effectum. Luc. Phars. VII, 428: Hac luce cruenta effectum, ut Latios non horreat India fasces. Repertum. Sil. It. Pun. III, 460: Nam trabibus vada et injecta tellure repertum connexas operire trabes. Solitum. Verg. Aen. XI, 383: Proinde tona eloquio (solitum tibi) meque timoris argue tu, Drance. Pugnatum. Sil. It. Pun. VI, 48: Ore cruento pugnatum.

II.

Interdum poetae substantivis quibusdam abstractis copulam non adjungunt, ut illa sub sensum audientium quam gravissime cadant. Talia substantiva sunt: fas, nefas, jus, lex; mos, ritus; studium, labor, cura, quae notio imprimis in formulis curae alicui aut cordi alicui sine copula invenitur, amor, voluptas, mens, animus, cupido, furor, audacia, impetus; timor, pudor; spes, salus; usus, opus; virtus, copia, potestas, facultas, libertas, ludus, locus; tempus, requies, quies, mora; modus, finis, satias; fama, fides, fiducia, causa.

Sic legimus fas apud Verg. Georg. IV, 358: fas illi limina divom tangere. Aen. I, 206. II, 157. 402. 779. IV, 113. VI, 563. VIII, 502. Ov. Fast. I, 329. 532. III, 811. IV, 657. VI, 7. Pers. I, 8. Mart. VII, 8, 9. Stat. silv. II, 1, 82. Theb. II, 168. III. 234. VII, 733. Sil. It. Pun. VII, 162. XI, 548. XIV, 169. Luc. Phars. I, 127. IX, 244. X, 194. Val. Arg. III, 381. 414. VII, 231. VIII, 419. In enuntiatione relativa fas sine copula legitur apud Verg. Aen. VII, 692: quem neque fas igni cuiquam nec sternere ferro. Juv. X, 257: cui fas Ithacum lugere natantem. Stat. silv. I, 2, 179. Theb. VI, 736. Sil. It. Pun. III, 21. Luc. Phars. I, 598. Nefas. Hor. Od. I, 37, 5: Antehac nefas depromere Caecubum cellis avitis. Verg. Aen. II, 719: me, bello e tanto digressum et caede recenti, attrectare nefas. VI, 391: Corpora viva nefas Stygia vectare carina. Ov. Fast. III, 325. Juv. XV, 9. Mart. VI, 18, 3. Luc. Phars. I, 127. Stat. silv. III, 4, 75. Theb. III, 563. 628. V, 328. Sil. It. Pun. III, 341. Val. Arg. I, 835. IV, 623. In enuntiatione relativa nefas sine copula positum est apud Verg. Aen. VIII, 173: Interea sacra haec, quando huc venistis amici, annua, quae differre nefas, celebrate faventes nobiscum. Stat. Theb. III, 141. VII, 785. Sil. It. Pun. V, 161. Jus. Verg. Aen. XII, 315: mihi jus concurrere soli. Sil. It. Pun. VIII, 40: Haud, inquit, tua jus nobis praecepta morari. Luc. Phars. X, 299. Lex. Stat. Achill. I, 598: Lex procul ire mares. Mos. Verg. Georg. III, 224: Nec mos bellantis una stabulare. Sil. It. Pun. III, 26: Discinctis mos tura dare atque e lege parentum sacrificam lato vestem distinguere clavo. III, 291. VIII, 372 (adde erat). XI, 51 (erat). XIII, 405. XVI, 235. In enuntiatione relativa mos sine copula legitur apud Stat. Theb. IV, 408: qui mos incerta paventibus. Sil. It. Pun. XI, 534: quos signum illustre superbis mos laeva gestare viris. Ritus. Sil. It. Pun. V, 176: patrio cui ritus in arvo, quum pius Arcitenens accensis gaudet acervis, exta ter innocuos laetum portare per ignes. Studium. Verg. Georg. II, 195: sin armenta magis studium vitulosque tueri. III, 179. Prop. I, 2, 23. Sil. It. Pun. VI, 354: his studium erecto componere carbasa malo. In enuntiatione relativa Verg. Georg. I, 21: studium quibus arva tueri. Val. Arg. I, 103. 838. Labor. Verg. Georg. IV, 106: Nec magnus prohibere labor. Aen. XI, 684. Stat. Theb. VI, 88. XII, 286. Sil. It. Pun. II, 638. XIV, 336 (erat). Cura. Verg. Aen. VII, 443: Cura tibi divom effigies et templa tueri. Ov. Her. VIII, 95 (fuit). Met. XIII, 363. Stat. Theb. V, 75. V, 453. VIII, 694. 738. IX, 617. Sil. It. Pun. VI, 94. Val. Arg. I, 477. VI, 192. In enuntiatione relativa Verg. Aen. I, 703: quibus ordine longam cura penum struere et flammis adolere penates. Stat. silv. II, 2, 70: quos tibi cura sequi, quos toto corpore sentis. V, 2, 91. Theb. V, 512: Formulae curae alicui et cordi alicui sine copula leguntur apud Verg. Ecl. III, 61: ille colit terras; illi mea carmina curae. Georg. IV, 178: Grandaevis oppida curae et munire favos et daedala fingere tecta. Ov. ars am. I, 749: curae sua cuique voluptas. Stat. silv. V, 2, 71. Sil. It. Pun. I, 564. Verg. Aen. IX, 614: Vobis picta croco et fulgenti murice vestis, desidiae cordi. Stat. silv. V, 5, 53. In enuntiatione relativa Verg. Georg. IV, 113: quoi talia curae. Aen. IV, 59: Junoni, cui vincla jugalia curae. Ov. Trist. I, 2, 59. Stat. Theb. IV, 33. XI, 428. Verg. Aen. VII, 326: cui tristia bella iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi. IX, 776. X, 252. Stat. silv. IV, 4, 46. Theb. V, 473. Amor. Stat. Theb. III, 582: Arma paternis postibus et fixos superum ad penetralia currus vellere amor. In enuntiatione relativa amor sine copula legitur apud Verg. Ecl. III, 394: At cui lactis amor. Voluptas. Stat. silv. II, 2, 32: nunc ire voluptas. Mens. Val. Argon. III, 256: nec terga ruentum mens Minyis conversa sequi. I, 198. Animus. Stat. silv. I, 3, 101: Seu tibi Pindaricis

animus contendere plectris. Cupido. Stat. Achill. I, 495: namque huic bellare cupido praecipua et prima jam tunc data copia mortis. Furor. Val. Arg. IV, 562: Furor his medio concurrere ponto, necdum ullas videre rates. Audacia. Stat. Theb. IX, 537: Non tamen aut ensem galeamve audacia cuiquam tangere. Stat. Theb. XII, 10. Impetus. Stat. Theb. IV, 350: Nulli destringere ferrum impetus. Timor. Stat. Theb. IX, 423: Nec memorare timor. Pudor. Stat. Theb. III, 591: Caedere nec validas sanctis e stirpibus hastas, nec pudor emerito clipeum vestisse juvenco. III, 698. IV, 264. VIII, 523. Spes. Sil. It. Pun. XIII, 249: Nec spes (erat) obsessis ultra reserata tueri moenia. Cf. Verg. Aen. XI. 309. Stat. Theb. IV, 736. Salus. Sil. It. Pun. VII, 396: nil movisse salus rebus. Usus. Verg. Aen. VIII, 441: Nunc viribus usus, nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra. Opus. Verg. Aen. VI, 261: Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo. Ov. Fast. III, 725: Carminis hujus opus causas expromere. Am. I, 9, 28. Juv. VII, 66. Pers. I, 67. Stat. silv. I, 2, 247. Theb. VIII, 140. IX, 58. Val. Argon. V, 633. Virtus. Sil. It. Pun. IX, 611: Nec cuiquam virtus propriora capessere bella. In enuntiatione relativa Hor. Sat. I, 9, 54: Velis tantummodo: quae tua virtus, expugnabis. Copia. Verg. Aen. XI, 378: larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi. Ovid. Heroid. II, 49: Credidimus blandis, quorum tibi copia, verbis. Potestas. Verg. Aen. IX, 813: nec respirare potestas. Stat. silv. III, 4, 68: Haud ulli puerum mollire potestas credita. Theb. VI, 167. X, 214. XII, 81. Val. Arg. IV, 12. In enuntiatione relativa Sil. It. Pun. XI, 514: quis rerum ducibus permissa potestas. Facultas. Stat. Theb. IV, 513: et nobis saevire facultas. VII, 764. XII, 36. silv. II, 1, 188 (adde sit). Val. Arg. III, 16. In enuntiatione relativa Stat. silv. II, 1, 228: cui soli cuncta inpetrare facultas. Theb. II, 245. Libertas. Val. Arg. I, 601: Nec mihi libertas imis freta tollere harenis. Ludus. Sil. It. Pun. XVI, 572: cui ludus (erat), nullam cursu non tollere damam. Locus. Stat. Theb. IX, 591: Vix ramis locus. VIII. 419. In enuntiatione relativa Verg. Aen. II, 71: cui neque apud Danaos usquam locus. Val. Arg. IV, 451. Tempus. Verg. Georg. I, 213: nec non et lini segetem et Cereale papaver tempus humo tegere et jamdudum incumbere aratris. I, 305. II, 542. IV, 283. Aen. V, 638. VI, 46. IX, 12. X, 441. Cat. 62, 3. Ov. Met. X, 657. Ars am. III, 809. Stat. Theb. III, 360. Sil. It. Pun. XIII. 493. 613. Val. Arg. VIII, 76. Requies plerumque cum negatione conjungitur. Verg. Georg. II, 516: Nec requies. Stat. silv. V, 3, 199: Vix requies flammae (erat). Stat. Theb. V, 294. VI, 801. IX, 771. Val. Arg. V, 600. Sil. It. Pun. VI, 60. Stat. Theb. VIII, 160 sine negatione: data foedere parvo maesta viris. Quies. Stat. Theb. VII, 400: Contempta quies. Mora semper cum negatione conjungitur. Nec mora nec requies legitur apud Verg. Georg. III, 110. Aen. V, 458. XII, 553; nusquam mora Verg. Georg. IV, 185. Haud mora ineunte versu legitur apud Verg. Aen. III, 548. V, 140. VI, 177. VII, 156. XI, 713. Georg. IV, 548. Ovid. Met. VI, 53. XIV, 632. Stat. Theb. III, 293. Sil. It. Pun. IV, 101. XII, 380. Val. Argon. V, 60. V, 558; medio in versu apud Verg. Aen. III, 207. Stat. Theb. VIII, 277; cum dativo apud Verg. Aen. V, 749: Haud mora consiliis, nec jussa recusat Acestes. Saepissime invenitur nec mora: Verg. Aen. V, 368. Ovid. Met. I, 717. III. 46. IV, 120. 344. 481. VI, 636. VII, 320. VIII, 416. 830. IX, 166. X, 159. XI, 324. XIII, 225. 954. XIV, 273. 845. Amor. I, 6, 13. I, 11, 19. III, 7, 81. Her. XV, 169. XVIII, 57. ars am. I, 146. III, 709. Trist. I, 3, 69. III, 7, 6. III, 11, 53. ex Pont. III, 2, 93. IV, 7, 31. Fast. I, 278. II, 471. II, 709, 831. IV, 456. 843. V, 27. 254. 519. VI, 677. Stat. silv. III, 1, 117. III, 4, 47. Stat. Achill. I, 27. 558. II, 67.

Theb. I, 310. II, 513. VI, 813. 887. IX, 834. Luc. Phars. IV, 445. Sil. It. Pun. III, 170. 512. V, 130. VI, 350. VII, 523. XIV, 371. nec mora, quin: XIV, 580. XVII, 155. nec tantis mora prodigiis: Verg. Aen. V, 639. nec mora praeceptis: Stat. Theb. I. 533. neque in his mora: Stat. Theb. II, 549. mora nec terris tibi longa cruentis: Val. Arg. II, 303. nec jusso mora: Sil. It. Pun. IX, 602. nec sceleri mora: Sil. It. Pun. XIV, 97. non telo mora, non dictis: Sil. It. Pun. XV, 789. neque enim Turno mora libera mortis: Verg. Aen. XII, 74. Sed adicitur est Lucr. VI, 1178: nec requies erat ulla mali. Sil. It. Pun. VIII, 202: haud mora sit. ib. 274. Stat. Theb. XII, 596. Val. Arg. IV, 130. Terent. Andr. III, 4, 14. V, 6, 7. Modus. Stat. silv. III, 3, 134: Nec modus aut pennis laceris aut crinibus ignem spargere. Achill. I, 436. Theb. VI, 50. Luc. Phars. I, 163. Sil. It. Pun. XIII, 356. XIV, 104. Val. Argon. I, 294. Finis. Sil. It. Pun. IV, 110: Nec finis satiasve (erat). Satias. Sil. It. Pun. VI, 52: Nec satias (erat), donec madentia linqueret ora spiritus et plenos rictus mors atra teneret. Fama. Stat. Achill. I, 506: Nam fama nec antris Chironis patria nec degere Peleos aula. Val. Arg. II, 159. Val. Arg. VI, 137. In enuntiatione relativa Stat. Theb. III, 475: frondes lucis quas fama Molossis Chaonias sonuisse tibi. IV, 277. Fides. Ov. Amor. III, 10, 23: Magna fides testi. Fast. III, 145: Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores. Verg. Aen. IV, 12: nec vana fides. Val. Argon. V, 75. Stat. Theb. XI, 215. Val. Arg. II, 167. Luc. Phars. X, 219: Vana fides veterum. Sil. It. Pun. XIV, 351. Stat. silv. I, 3. 20: miranda fides. V, 1, 33: mira fides; item Stat. silv. III, 3, 21. Achill. II, 206. Stat. Theb. III, 343: prona fides populis. Verg. Aen. III, 375: nam te majoribus ire per altum auspiciis manifesta fides. — Stat. Theb. VI, 638: auditum manifesta fides. Val. Argon. IV, 744: Certa fides animis. Stat. Theb. I, 395: mox adaperta fides. Stat. silv. III, 1, 8: vix oculis animoque fides. Stat. Theb. VIII, 257: necdum tota fides. Stat. Theb. VII. 578: ipsumque fides intrasse Lyaeum. Fiducia. Sil. Pun. I, 591: haud ulli contra fiducia surgere vento. Causa. Verg. Aen. VI, 93: Causa mali tanti conjunx iterum hospita Teucris externique iterum thalami. Ov. Met. II, 747. X, 23. Fast. I, 643: Causa, quod a patribus sumptis secesserat armis volgus. II, 329: Causa, repertori vitis quia sacra parabant. III, 812. Stat. Achill. II, 60. Theb. III, 160. V, 715. Luc. Phars. V, 464. VII, 407. IX, 526. Sil. It. Pun. IV, 766 (adde erat). Val. Argon. I, 647.

Nonnumquam etiam substantiva testis, comes, hospes, heres, dux, rex, auctor, parens, genitor, genetrix, sator, pater, mater, avus, nepos, socer, genus, origo, principium, nomen verbo copulativo apud poetas carent, si aliis nominibus quum breviter tum graviter adjiciuntur. Exempla sunt haec: Verg. Aen. IX, 289: nox et tua testis dextera, quod nequeam lacrumas perferre parentis. Hor. Od. IV, 4, 38: Quid debeas, o Roma, Neronibus, testis Metaurum flumen et Hasdrubal. Tib. I, 7, 10: Tarbella Pyrene testis et Oceani litora Santonici, testis Arar Rhodanusque celer magnusque Garumna, Carnuti et flavi caerula lympha Liger. Tib. IV, 1, 108. Prop. III, 26, 47. IV, 19, 11. IV, 20, 18. Juv. IX, 77. Sil. It. Pun. VIII, 82. XI, 534. Luc. Phars. X, 220. Hor. Sat. I, 5, 2: Egressum magna me excepit Aricia Roma hospitio modico, rhetor comes Heliodorus. Verg. Aen. VI, 528: comes additus una hortator scelerum Aeolides. Prop. IV, 2, 13: At musae comites et carmina grata legenti, et defessa choris Calliopea meis. Stat. Theb. XII, 784: Jamque hospes Theseus. — Ovid. Her. IX, 110: Heres laudis amica tuae. Verg. Aen. I, 364: dux femina facti. Val. Argon. IV, 101: rex Amycus. IV, 219: aliis rex Juppiter oris. Ov. Met. IV, 640: hospes ait Perseus illi, seu gloria tangit te generis magni,

generis mihi Juppiter auctor. VIII, 349: Auctor teli Pagasaeus Jason. Ov. Her. XIV, 109: Ultima quid referam, quorum mihi cana senectus auctor? Stat. Theb. II, 436. VII, 112. IX, 842. Verg. Aen. IV, 365: Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor, perfide, sed duris genuit te cautibus horrens Caucasus. Stat. Theb. I, 680: Sed si praecipitant miserum cognoscere curae, Cadmus origo patrum, tellus Mavortia Thebe, et genetrix Jocasta mihi. XI, 34: Pan illi genitor. Val. Arg. V, 393: Quem petis Aeeten, genitor meus. Sil. It. Pun. III, 364: jam cui Tlepolemus sator et cui Lindus origo. Verg. Aen. VII, 48: Fauno Picus pater. Verg. Aen. VII, 372: Et Turno, si prima domus repetatur origo Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae. Sil. It. Pun. XII, 217: Huic pater Eridanus. Verg. Aen. X, 76: cui Pilumnus avos, cui diva Venilia mater. Ov. Her. VI, 115: Bacchus avus: Bacchi conjunx redimita corona praeradiat stellis signa minora suis. Stat. Theb. V, 676: cui regnum genitorque Thoas et lucidus Evan stirpis avus. Ov. ex Pont. III, 362: Caesar, ab Aenea qui tibi fratre nepos. Stat. Theb. IV, 289: et rapidus Cliton et qui tibi, Pythie, Ladon paene socer. Verg. Aen. V, 117: genus a quo nomine Memmi. Verg. Aen. VI, 123: et mi genus ab Jove summo. Verg. Aen. VII, 219: Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes gaudet avo. Ov. Fast. V, 708: constiterant illic. nomen Aphidna loco. Luc. Phars. VI, 144: Scaeva viro nomen: (erat). Stat. Theb. V, 747. VI, 342.

III.

Persaepe poetae apud participium futuri passivi verbum copulativum omittunt, quo significatio necessitatis, quae huic formae verbali per se subest, ellipsi verbi magis appareat. Exempla sunt haecce. Verg. Georg. I, 160: Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma. Verg. Georg. II, 363 sqq: Ac dum prima novis adolescit frondibus aetas, parcendum teneris, et dum se laetus ad auras palmas agit laxis per purum immissus habenis ipsa acie nondum falcis temptanda, sed uncis carpendae manibus frondes interque legendae. II, 371: Texendae saepes etiam et pecus omne tenendum praecipue dum frons tenera inprudensque laborum. II, 399 sqq: namque omne quotannis terque quaterque solum scindendum glaebaque versis aeternum frangenda bidentibus, omne levandum fronde nemus. II, 418 et 419: sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus et jam maturis metuendus Juppiter uvis. III, 294: Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum. IV, 8: Principio sedes apibus statioque petenda. IV, 37: Utraque vis apibus pariter metuenda. IV, 396: Hic tibi, nate, prius vinclis capiundus. Aen. II, 780: Longa tibi exilia, et vastum maris aequor arandum. III, 161: Mutandae sedes. Non haec tibi litora suasit Delius aut Cretae jussit considere Apollo. III, 384: Ante et Trinacria lentandus remus in unda et salis Ausonii lustrandum navibus aequor. III, 495: Vobis parta quies, nullum maris aequor arandum, arva neque Ausoniae semper cedentia retro quaerenda. VIII, 441: arma acri facienda viro. IX, 320: Euryale, audendum dextra. XI, 388: nec longe scilicet hostes quaerendi nobis: circumstant undique muros. Culex 260: Eridanus tranandus, agor delatus ad undam. Ovid. Met. I, 660: De grege nunc tibi vir, nunc de grege natus habendus. III, 136: Sed scilicet ultima semper expectanda dies homini, dicique beatus ante obitum nemo supremaque funera debet. III, 715: ille aper, in nostris errat qui maximus agris, ille mihi feriendus aper. VII, 37: Quamquam non ista

precanda, sed facienda mihi. Med. fac. 84: Quamvis tura deos irataque numina placent non tamen accensis omnia danda focis. Ars am. I, 4: Arte regendus amor. II, 338: Sed non quo dederas a litore carbasa vento, utendum, medio cum potiere freto. III, 234: Nec nisi summotis forma paranda viris. Trist. II, 208: alterius facti culpa silenda mihi. Fast. V, 494: Signi causa canenda mihi. VI. 418: Cetera jam pridem didici puerilibus annis, non tamen idcirco praetereunda mihi. Juv. VI, 231: Desperanda tibi salva concordia socru. VIII, 121: Curandum inprimis, ne magna injuria fiat fortibus et miseris. XI, 45: Non praematuri cineres nec funus acerbum luxuriae, sed morte magis metuenda senectus. Hor. Od. I, 7, 27: Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro. II, 14, 17 et 21: Visendus ater flumine languido Cocytos errans et Danai genus. — Linquenda tellus et domus et placens uxor. Sat. II, 6, 28: Luctandum in turba et facienda injuria tardis. Stat. silv. III, 2, 21: nec quaerenda diu. IV, 7, 33: Orbitas omni fugienda nisu. V, 2, 51: Disce, puer, nec enim externo monitore petendus virtutis tibi pulcher amor, cognata ministret laus animos. Theb. V, 741: mansuris donandus honoribus infans. VI, 628: virtus iterum temptanda. X, 31: Scilicet Adrasti senium fraterque juventa pejor et insanis Capaneus metuendus in armis? X, 213: Quare agite, utendum superis, non cominus hostes sternendi. X, 242: sed fraudem et operta paramus proelia, celandi motus. X, 829: Non mihi jam solito vatum de more canendum, major ab Aoniis sumenda audacia lucis. XI, 99: fratrum stringendi cominus enses. XII, 165: bello cogendus et armis in mores hominemque, Creon. Sil. It. Pun. VIII, 35: Cum Varrone manus, et cum Varrone serenda proelia. XI, 357: Non jam tibi pectora pubis Sidoniae fodienda manu tutantia regem. XV, 14: Si gentem petat infaustam, inter busta suorum decertandum hosti, qui fregerit arma duorum. Val. Arg. I, 323: Vota aliis facienda deis. II, 284: et fuga diversas misero quaerenda per artes. IV, 573: fuga tunc medio properanda recursu. V. 319: Ergo ubi lux altum spargit mare, tecta petenda urbis et ignoti mens experienda tyranni. In enuntiatione relativa ellipsis ejusmodi invenitur apud Verg. Georg. I, 313: Quid dicam — quae vigilanda viris. Aen. VI, 136: accipe: quae peragenda prius. VI, 890: exim bella viro memorat quae deinde gerenda. VII, 444: bella viri pacemque gerent, quis bella gerenda. Ov. Am. II, 15, 2: in quo censendum nil nisi dantis amor. Ars am. III, 494: pereant, per quos ista monenda mihi.

IV.

Adjectiva porro, quae relativa vocantur, verbo copulativo saepe carent et quidem praecipue tum, quum ea vox, ad quam pertinent, vi et sententia ceteris antecellit. Sic repperiuntur haec adjectiva: par, dispar, impar, secundus, similis; aptus, dignus, indignus, utilis, maturus, facilis, difficilis, levis, durus; fecundus, fertilis, capax, longus, magnus, amplus, brevis, exiguus, tenuis, parvus, angustus, rarus, vagus, priscus, vetus; potens, plenus, vanus, futilis, cassus, securus, integer; bonus, vilis, turpis, pulcher, deformis, horridus, saevus, dirus, asper, crudelis; gratus, jucundus, festus, tristis, felix, aversus, fatalis; dubius, notus, conscius, nescius, ignarus, nobilis, suetus, assuetus. Sequuntur exempla: Juv. VIII, 215: Par Agamemnonidae crimen, sed causa facit rem dissimilem. Ov. Fast. VI, 281: Par facies templi. — Stat. silv. I, 1, 17: Nec magna putes; par forma decorque, par honor. V, 2, 111: Par vigor et membris. Stat. Achill. I, 299: atque ipsi par forma deae. Stat.

Theb. VI, 306: hiberno par inconstantia ponto. X, 11: Par utrimque dolor. Val. Arg. I, 110: velit ille quidem, sed dextera nondum par oneri clavaeque capax. Luc. Phars. IX, 330: par lingua potentibus herbis. Sil. It. Pun. IV, 92: Par studium Poeno (erat), similesque in pectore curae. XIII, 848: nec par poena tamen sceleri. XIV, 316: par contra pelago miseris fortuna carinis (erat). XV, 471: At non ductori Libyco par ardor in armis (fuit). XVI, 445: Par donum solido argento caelata bipennis omnibus. Val. Arg. II, 647: vestra fides ritusque pares. III, 473: par gemitu pulsuque labor. IV, 4, 456: parque mihi monstrisque fames. Stat. Theb. X, 513: par operis jactura lucro. — Sil. It. Pun. V, 544: Haud dispar fortuna tibi, Laevine, sed auso non eadem. XV, 91: modo Roma minanti impar Fidenae. Ov. Am. I, 13, 44: Aspice, quot somnos juveni donarit amato Luna; neque illius forma secunda tuae. Val. Arg. IV, 524: Mox tamen et vobis similis fuga, cum premet arcus letifer. — Ov. Am. I, 8, 30: Mars abiit. Signo nunc Venus apta suo. I, 10, 19: nec Venus apta feris, Veneris nec filius, armis. Ov. Fast. I, 392: causa pudenda quidem, sed tamen apta deo. IV, 866. Stat. Theb. X, 242: numquam apta latenti turba dolo. III, 199: necdum apta doloribus aetas. Juv. V, 62: Nescit tot milibus emptus pauperibus miscere puer: sed forma, sed aetas digna supercilio. Stat. silv. I, 2, 38: Digna quidem merces. IV, 6, 59: Digna operi fortuna sacro. Theb. VII, 47: Digna loco statio. Juven. VIII, 30: Quis enim generosum dixerit hunc, qui indignus genere et praeclaro nomine tantum insignis? Verg. Georg. II, 323: Ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis. Mart. V, 19, 18: utile quod nobis, do tibi consilium. Val. Arg. I, 53: necdum mea proles imperio et belli rebus matura marique. Verg. Georg. I, 79: sed tamen alternis facilis labor. Verg. Aen. II, 646: Facilis jactura sepulchri. Luc. Phars. IV, 90: Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi ulla ferunt sulci. Stat. Theb. XI, 305: Nec mihi difficilis praesens vindicta. Verg. Aen. VII, 581: neque enim leve nomen Amatae. Stat. Achill. II, 439: Sic me sublimis agebat gloria, nec duri tanto sub teste labores. Verg. Georg. II, 446: Viminibus salices, fecundae frondibus ulmi. Stat. silv. III, 5, 71: Nec tantum Roma jugales conciliare toros festasque accendere taedas fertilis, et nostra generi tellure dabuntur. Stat. Achill. II, 143: sed longa sagaci nox Ithaco, lucemque cupit somnoque gravatur. Stat. Theb. I, 7: Longa retro series. Luc. Phars. II, 116: vix secula longa deorum. Val. Arg. VI, 320: nec longa (erat) dies, ut capta videres vellera et Euboicis patrios de montibus ignes. Juv. II, 47: Magna inter molles concordia. XIII, 20: Magna quidem, sacris quae dat praecepta libellis, victrix fortunae sapientia. Prop. I, 2, 24: Illis ampla satis forona pudicitia. Ov. ars am. II, 357: Sed mora tuta brevis, lentescunt tempore curae. Verg. Aen. V, 754: exigui numero, sed bello vivida virtus. Aen. VIII, 473: nobis ad belli auxilium pro numine tanto exiguae vires. Georg. IV, 6: In tenui labor; at tenuis non gloria. Stat. silv. III, 5, 79: Nostra quoque haud propriis tenuis nec rara colonis Parthenope. Juv. VI, 184: quaedam parva quidem, sed non toleranda maritis. VI, 357: Multis res angusta domi, sed nulla pudorem paupertatis habet. Sil. It. Pun. X, 279: Nec vero opes angustae, quum talia restent pectora Romuleo regno. Ov. Trist. V, 14, 29: Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet. Juv. VII, 145: Rara in tenui facundia panno. VII, 228: Rara tamen merces, quae cognitione tribuni non egeat. VIII, 73: Rarus enim ferme sensus communis in illa fortuna. Stat. Achill. I, 287: placidoque satae Lycomede sorores luce sacra patriis, quae rara licentia, muris exierant. Stat. Theb. VII, 576: vaga rure quies, si quando benigno urbem iniere gradu. Verg. Aen. IX, 79: Prisca

fides facto, sed fama perennis. Stat. Theb. VII, 198: veteres seraeque caussae. Prop. II, 5, 28: Cynthia forma potens, Cynthia verba levis. Stat. Theb. V, 124: plena mihi domus atque ingens, en cernite, sudor. V, 134: Nec imago quietis vana meae. Sil. It. Pun. XV, 794: nec futilis ictus. Stat. Theb. V, 562: Cassa duci virtus. IX, 770: nunquam cassa manus. Stat. silv. I, 1, 22: Latus ense quieto securum. Theb. VI, 472: nec jam integer illis impetus. Tib. II, 5, 107: Ars bona: sed postquam sumpsit sibi tela Cupido, heu, heu quam multis ars dedit illa malum! Stat. silv. V, 3, 33: vilis honos studiis. Ov. Met. XIII, 848: Turpis sine frondibus arbor: turpis equus, nisi colla jubae flaventia velent. Ov. Ars am. I, 723: Candidus in nauta turpis color. III, 249: Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus et sine fronde frutex et sine crine caput. Juv. VIII, 182: quae turpia cerdoni, Volesos Brutumque decebunt. Cf. XI, 177. Sil. It. Pun. XIII, 772: Turpis lenti sollertia Martis, audendo bella expedias. Stat. Theb. VIII, 402: pulcher adhuc belli vultus. Luc. Phars. VIII, 81: Deformis adhuc vivente marito summus et augeri vetitus dolor. Juv. XV, 45: Horrida sane Aegyptus, sed luxuria, quantum ipse notavi, barbara famoso non cedit turba Canopo. Val. Arg. VI, 733: Saeva quidem lucis mora; dent tamen, oro, unum illum mihi fata diem, qui fallat Achivos. Stat. Theb. IV, 53: Saevus honos fluvio. X, 556: dira intus facies. — Verg. Georg. IV, 277: asper in ore sapor. Prop. III, 26, 45: Sed non Neptunus tanto crudelis amori, Neptunus fratri par in amore Jovi. Ov. Her. XII, 169: Non mihi grata dies. Noctes vigilantur amarae. Cf. XIII, 105. Hor. Epod, I, 6: Quid nos, quibus te vita superstite jucunda, si contra, gravis? Ov. Fast. VI, 239: Festa dies illis, qui lina madentia ducunt. Mart. XIV, 158: Lana quidem tristis, sed tonsis neta ministris. Stat. silv. V, 3, 257: Sed nec leti tibi janua tristis. Ov. Met. XI, 266: felix et nato, felix et conjuge Peleus. Prop. V, 1, 73: Aversis musis cantas: aversus Apollo. Stat. Theb. V, 54: Thracum fatalia nobis litora. Ov. Amor. I, 9, 29: Mars dubius, nec certa Venus. Verg. Aen. X, 757: neque his fuga nota neque illis. Juv. VI, 314: nota Bonae secreta Deae. XIV, 248: Nota mathematicis genesis tua; sed grave tardas expectare colus. Stat. Theb. VI, 563: Nota parens cursu. Ov. Fast. II, 584: Disce, per antiquos quae mihi nota senes. Ov. Met. VI, 588: Nox conscia sacris: nocte sonat Rhodope tinnitibus aeris acuti. Val. Arg. I, 526: veteris sat conscia luctus silva Padi et viso flentes genitore sorores. Ovid. Her. I, 66: Misimus et Sparten: Sparte quoque nescia veri. Verg. Aen. X, 501: Nescia mens hominum fati sortisque futurae et servare modum, rebus sublata secundis! Verg. Georg. I, 299: hiemps ignara colono. Juv. XIV, 155: Velleribus primis Appulia, Parma secundis nobilis. Stat. Theb. IV, 54: huc mergere suetae ora et anhelantes tuto Phlegethonte cerastas. Verg. Aen. V, 402: quibus acer Eryx in proelia suetus ferre manus duroque intendere bracchia tergo. Stat. Theb. VII, 350: Cephissi glaciale caput, quo suetus anhelam ferre sitim Python amnemque avertere ponto. XII, 526: quis nemora et solidam Maeotida caedere suetae. VI, 317: qua suetus ab arte mulceri. I, 543: Jasides pateram famulos ex more poposcit, qua Danaus libare deis seniorque Phoroneus assueti.

V.

Neque minus saepe poetae gradui comparativo majorem vim et gravitatem parant, si verbum copulativum omittunt. Sic posita sunt haec comparativa: aptior, magis aptus, certior, minus damnosa, dignior, dulcior, durior, fecundior, feracior, gratior, magis gratus, generosior,

gravior, inferior, jucundior, laetior, largior, levior, longior, major, melior, minor, mitior, notior, operosior, parcior, pejor, pluris, pulchrior, potior, prior, robustior, saevior, segnior, senior, supinior. Exempla autem legimus apud Ov. Her. IX, 64: Aptior Herculeae populus alba comae. Stat. silv. IV, 8, 27. Prop. IV, 22, 19: Armis apta magis tellus quam commoda noxae. Val. Arg. I, 17: neque enim Tyriis Cynosura carinis certior aut Grais Helice servanda magistris. Ov. Ars am. III, 509: nec minus in vultu damnosa superbia vestro. Verg. Aen. IX, 212: tua vita dignior aetas. Stat. silv. I, 1, 40: Nec dulcior usquam lecta deae sedes. Juv. III, 164: sed Romae durior illis conatus. Juv. VIII, 189: Nec tamen ipsi ignoscas populo: populi frons durior hujus. Juv. VII, 98: Vester porro labor fecundior. Ov. Am. II, 16, 7: Terra ferax Cereris, multoque feracior uvis. Val. Arg. VIII, 176: Redeuntibus aura gratior. Prop. IV, 5, 48: vos, quibus arma grata magis, Crassi signa referte domum. Stat. Theb. VI, 298: neque enim generosior umquam alipedum collata acies. Ov. Met. X, 8: Exitus auspicio gravior. Verg. Aen. II, 436: quorum Iphitus aevo jam gravior. Sil. It. Pun. II, 596: Haud gravior duris Divûm inclementia rebus, quam leti proferre moras. Luc. Phars. IV, 480: nec gloria leti inferior, juvenes, admoto occurrere fato. Juv. XIII, 180: At vindicta bonum vita jucundius ipsa. Luc. Phars. VII, 120: neque enim victoria Magno laetior. Sil. It. Pun. XI, 38: Non largior ulli Ausoniae populo (erat) (sic tum Fortuna fovebat) aurique argentique modus. Stat. Theb. VII, 85: ira jam levior. Sil. It. Pun. XII, 215. XIII, 171. Stat. Theb. II, 296: post longior ordo. Prop. V, 3, 49: Omnis amor magnus, sed aperto in conjuge major. Juv. X, 233: Sed omni membrorum damno major dementia, quae nec nomina servorum nec vultum agnoscit amici. XV, 159: Sed jam serpentum major concordia. Mart. IV, 29, 3. Stat. silv. II, 6, 23. IV, 4, 34. Hor. sat. I, 5, 96: Postera tempestas melior, via pejor ad usque Bari moenia piscosi (fuit). Ov. Fast. VI, 769: Postera lux melior. Ov. Met. IX, 29: melior mihi dextera lingua. Verg. Aen. II, 35. Juv. III, 104. Mart. XIV, 22. Stat. Theb. VIII, 60. Luc. Phars. V, 348. IX, 330. Val. Arg. IV, 158. Hor. sat. II, 1, 45. Prop. V, 10, 35. Verg. Aen. V, 803: nec minor in terris (Xanthum Simoentaque testor) Aeneae mihi cura tui. IX, 342: nec minor Euryali caedes. Mart. VII, 38, 3: Sed nec Scylla minor. Stat. Achill. I, 429. Theb. IV, 507. VII, 531. 726. XII, 499. Sil. It. Pun. IX, 8. Juv. VI, 486: Praefectura domus Sicula non mitior aula. Val. Arg. II, 95: nec fama notior Aetne aut Lipares domus. Stat. Theb. VI, 57: proxima gramineis operosior area sertis. Ov. Ars am. I, 281: parcior in nobis nec tam furiosa libido. Juv. II, 18: sed pejores, qui talia verbis Herculis invadunt. Juv. VIII, 258: Pluris enim Decii, quam quae servantur ab illis. Stat. Theb. IV, 251: Pulchrior haud ulli triste ad discrimen ituro vultus. Val. Arg. IV, 622: saepe acri potior prudentia dextra. Ov. Fast. V, 172: sed prior ortus Hyas. Stat. silv. V, 2, 13: sed angustis animus robustior annis. Juv. XIII, 196: Poena autem vehemens ac multo saevior illis. Prop. IV, 16, 8. Verg. Georg. II, 275: densa sere: in denso non segnior ubere Bacchus. Mart. II, 6, 13: numquam deliciae supiniores.

Nonnulla comparativa post nominativum aut dativum pronominis relativi inveniuntur sine copula usurpata, quo in numero ducenda sunt: pulchrior, potentior, tutius, grandior major, firmior, fortior, interior, propior nobis occurrentia apud Val. Arg. I, 40: Hanc mihi militiam, veterum quae pulchrior actis, adnue daque animum. VII. 498: Per te, quae superis divisque potentior imis (es). Stat. Theb. VIII, 288: cui vivere patrem tutius.

Ov. Met. VII, 665: cui grandior aetas. Val. Arg. I, 7: cui major aperti fama. Stat. silv. III, 3, 213: qui major honos. Luc. Phars. II, 631: Tunc subole e tanta natum, cui firmior aetas, affatur. Stat. Theb. XI, 541: hortatusque manum, cui fortior ira nefasque justius. Sil. It. Pun. XVI, 338: At quis interior cura et prudentia Circi altior. Stat. Theb. II, 225: procerum manus omnis et alto quis propior de rege gradus, stant ordine primi.

Imprimis autem habenda est ratio eorum comparativorum, quae ablativum pronominis relativi cum negatione sequuntur. Huc pertinent major, deterior, gravior, praesentior, sacratior, carior, ferocior, amicior, potentior, felicior, amabilior, carior, spectatior, spatiosior, ocior. Hor. Od. I, 3, 16: quo non arbiter Hadriae major. Mart. II, 34, 6: o mater, qua nec Pontia deterior. Stat. silv. V, 3, 219: qualis et ille dies, qua non mihi gloria major. Theb. II, 320: qua non gravior mortalibus addita cura. Verg. Georg. II, 127: felicis mali, quo non praesentius ullum. Sil. It. Pun. VIII, 227: Nympha, decus generis, quo non sacratius ullum numen, ait, nobis, felix oblata secundes. Ov. Trist. IV, 6, 46: qua nulla mihi carior, uxor abest. Ex Pont. III, 2, 99: Scilicet hac etiam, qua nulla ferocior, ora nomen amicitiae barbara corda movet. Stat. Theb. VIII, 145: illum heu, praesagis quo nullus amicior astris. Val. Arg. VI, 440: virgine, nocturnis qua nulla potentior aris. VII, 355: Cingitur inde sinus, et qua sibi fida magis vis nulla, Prometheae florem de sanguine fibrae Caucaseum promit. Verg. Aen. VI, 164: Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter (fuit) aere ciere viros Martemque accendere cantu. IX, 772: quo non felicior alter ungere tela manu ferrumque armare veneno. Tib. III, 4, 94: isque pater quo non alter amabilior. Ov. ex Pont. IV, 4, 17: Consule Pompejo, quo non tibi carior alter. Sil. It. Pun. I, 440: Daunum etiam, grata quo non spectatior alter. VIII, 481: insignis portu, quo non spatiosior alter innumeras cepisse rates, et claudere pontum. Ov. Met. III, 615: Dictys ait, quo non alius conscendere summas ocior antemnas prensoque rudente relabi.

VI.

Quid igitur mirum est, poetas etiam formis superlativis verbum copulativum interdum non addere? Tum enim id agere mihi videntur, ut aures illis vocibus breviter dictis quam gravissime personent; itaque haec superlativa sine copula posita inveniuntur: maximus, plurimus, optimus, pessimus, deterrimus, laetissimus, gratissimus, pulcherrimus, acceptissimus, dignissimus, castissimus, summus, supremus, primus, proximus, postremus, ultimus. Argumento autem sunt haec exempla: Juv. III, 310: Maximus in vinclis ferri modus. Verg. Aen. IX, 280: seu pacem seu bella geram. tibi maxima rerum verborumque fides. Ov. Met. XI, 562: Sed plurima nantis in ore Alcyone conjunx. Stat. Theb. II, 27, 5: sed plurimus ipsi sudor (fuit). Verg. Georg. III, 52: optima torvae forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix et crurum tenus a mento palearia pendent. II, 263: optima putri arva solo. Prop. IV, 5, 18: Optima mors, parcae quae venit acta die. Verg. Georg. II, 205: nigra fere et presso pinguis sub vomere terra, et quoi putre solum (namque hos imitamur arando) optima frumentis. II, 319: Optima vinetis satio, cum vere rubenti candida venit avis longis invisa colubris. Juv. IX, 121: nam lingua mali pars pessima servi. Verg. Georg. III, 82: Honesti spadices glaucique, color deterrimus albis et gilvo. I, 101: hiberno laetissima pulvere farra. II, 112: litora myrtetis laetissima. Ov. Rem. am. 405.

Verg. Ecl. VII, 61: Populus Alcidae gratissima, vitis Jaccho, formonsae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo. VII, 65: Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis, populus in fluviis, abies in montibus altis. Val. Argon. I, 188: tibi, rector aquarum, summus honos. Verg. Aen. XII, 653: Turne, in te suprema salus: miserere tuorum. Ov. Met. I, 452: Primus amor Phoebi Daphne Peneïa. Verg. Georg. III, 113: Primus Erichthonius currus et quattuor ausus jungere equos rapidusque rotis insistere victor. Cf. Aen. III, 426. Juv. X, 23. Stat. silv. I, 4, 71. II, 2, 17. Theb. II, 289. IV, 841. V, 264. VI, 296. XII, 532. Luc. Phars. IX, 211: Scire mori, sors prima viris, sed proxima cogi. Stat. Theb. VI, 583. Val. Arg. IV, 589: proxima regna Lyci. Sil. It. Pun. XV, 322: postremus in armis ductoris titulus cauti. Juv. XII, 55: discriminis ultima, quando praesidia afferimus navem factura minorem.

Neque in enuntiationibus relativis exempla ejusmodi ellipsis desunt, ubi superlativa nominativo aut dativo pronominis relativi sunt adjuncta. Huc pertinent haec exempla: Verg. Aen. V, 644: Hic una e multis, quae maxima natu, Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix. Ov. Fast. IV, 639: Igne cremat vitulos quae natu maxima Virgo. Stat. silv. I, 4, 90: et quae maxima nuper gloria, depositam Dacis pereuntibus urbem pandere. Val. Arg. III, 672: jamque hinc operum quae maxima posco. IV, 224: Nelidesque Idasque prior quae maxima surgunt nomina. Sil. It. Pun. X, 140: Hac fatus jaculo Lucam, qui maximus aevi, transadigit. Stat. Theb. IV, 669: Aeraque tympanaque et biforem reticere tumultum imperat, attonitas qui circum plurimus aures. Verg. Aen. I, 72: quarum quae pulcherrima Deiopea, conubio jungam stabili propriamque dicabo. Juv. III, 58: quae nunc divitibus gens acceptissima nostris et quos praecipue fugiam, properabo fateri. Stat. Theb. VIII, 380: Nil vulgare legens, sed quae dignissima vita funera, praecipuos annis animisque cruento ungue notat. XII, 194: His anxia mentem aegrescit curis, et qui castissimus ardor, funus amat. Stat. silv. V, 5, 43: Deficio medicasque manus fomentaque quaero vulneribus, quae summa, meis. Hor. Sat. I, 6, 83: — Pudicum — qui primus virtutis honos — servavit ab omni. Verg. Ecl. VIII, 24: Panaque, qui primus calamos non passus inertis. Verg. Aen. I, 157: Defessi Aeneadae quae proxima litora cursu contendunt petere, et Libyae vertuntur ad oras. IX, 238: qui patet in bivio portae, quae proxuma ponto. XII, 388: eripere auxilioque viam, quae proxima, poscit. Stat. Achill. I, 178: Protinus ille subit rapido, quae proxima, saltu. Stat. Theb. VII, 588: Mox Taenarium qui proximus Idam Aetolumque Acamanta premunt. Sil. It. Pun. I, 353: Pyrenes trabs lecta jugis, cui plurima cuspis. Verg. Aen. X, 100: tum pater omnipotens, rerum cui prima potestas. Sil. It. Pun. XVI. 400: hunc ensem, cui proxima gloria cursus, accipiet. Separatim commemoro Val. Arg. IV. 161: nomen, ait, praedulce mihi nomenque secutus Otreos unanimi.

VII.

Itaque fit, ut ellipsis verbi copulativi apud numeralia quaedam et ea pronomina indefinita, quae transitum faciunt ad numeralia, persaepe inveniatur. Quorum quum praesertim complura sint correlativa, ellipsis verbi adhibita esse mihi videtur, quo sit comparatio relatioque efficacior. Inveniuntur enim sine copula: quartus, septimus, nonus, tricesimus, simplex, duplex, mille, centum, quinquaginta, septem, duo, unus, unicus, solus, multus, pauci, nullus, non ullus, quisquam, non quisquam, nihil, nil, nemo, omnis, cuncti, ceteri, alter,

alius, uterque, ambo, tot, totidem, quot, tantus, talis, quantus, quantulus, qualis, qualiscunque, quicunque. Quatenus autem hac ellipsi poetae utantur, haec exempla docebunt. Verg. Aen. X, 619: Pilumnusque illi quartus pater. Ov. Fast. III, 96: huic genti quartus utrique deus. VI, 768: Tempora si veteris quaeris temeraria damni, quartus ab extremo mense bis ille dies. Stat. silv. II, 1, 46: Septima lux, et jam frigentia lumina torpent. Verg. Georg. I, 284: septuma post decumam felix et ponere vitem et prensos domitare boves et licia telae addere; nona fugae melior, contraria furtis. Hor. Sat. I, 9, 69: hodie tricesima sabbata. Sil. It. Pun. III, 552: Nec pestis lapsus simplex. Ov. Fast. VI, 43: Causa duplex irae. IV, 113: Mille per hanc artes motae. Verg. Aen. VII, 337: tibi nomina mille, mille nocendi artes. Sil. It. Pun. IV, 593: Mille simul leti facies. Juv. III, 250: Centum convivae, sequitur sua quemque culina. Verg. Aen. IX, 162: Bis septem Rutuli, muros qui milite servent, delecti; ast illos centeni quemque sequuntur. Sil. It. Pun. XII, 468: Bis septem demissa neci, nec substitit agmen. Verg. Aen. I, 703: Quinquaginta intus famulae — — centum aliae totidemque pares aetate ministri. Verg. Georg. IV, 231: duo tempora messis. Aen. V, 616: vox omnibus una. Verg. Aen. X, 182: mens omnibus una sequendi. X, 201: sed non genus omnibus unum: gens illi triplex. Georg. IV, 184: omnibus una quies operum, labor omnibus unus. Aen. II, 354: una salus victis nullam sperare salutem. IX, 544: Vix unus Helenor et Lycus elapsi. Similes loci sunt: Prop. IV, 13, 15. Ov. Met. II, 13. Stat. silv. V, 3, 240. Theb. II, 314. II, 689. III, 561. V, 185. VIII, 172. Luc. Phars. I, 520. II, 113. V, 636. IX, 607. Sil. It. Pun. VI, 377 (adde fuit). XI, 276. XIII, 153. 196 (erant). 525. XV, 402. XVI, 278. Val. Arg. III, 51. IV, 431. VII, 70. Post pr. relativum „unus“ quater legitur: Verg. Georg. I, 234: quarum una corusco semper sole rubens et torrida semper ab igni. Aen. XII, 817: adjuro Stygii caput inplacabile fontis, una superstitio superis quae reddita divis. Stat. Theb. X, 590: Orant, quodque unum rebus solamen in arctis, nosse futura rogant. Val. Arg. VII, 15: quae sola petit quaeque una laborum causa viro. Ov. Met. XIII, 853: Soli tamen unicus orbis. Sil. It. Pun. VII, 1: Interea trepidis Fabius spes unica rebus (erat). Luc. Phars. V, 575: Desperare viam et vetitos convertere cursus sola salus. Stat. Theb. VII, 54: bellorum solus in aris sanguis et incensis qui raptus ab urbibus ignis. Cf. Sil. It. Pun. VIII, 34. Val. Arg. VII, 272. Saepius „solus“ sine copula in enuntiatione relativa reperitur. Verg. Aen. V, 370: solus qui Paridem solitus contendere contra. IX, 257: Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto. XI, 821: adloquitur fidam ante alias, quae sola Camillae. Vide Stat. Theb. IX, 833. X, 531. Val. Arg. III, 255. Stat. Theb. IX, 240: multi fluvium transmittere nando aggressi, sed vincla tenent. Sil. It. Pun. XIV, 23: multa solo virtus. Juv. VI, 50: Paucae adeo Cereris vittas contingere dignae. XV, 54: paucae sine vulnere malae. Verg. Aen. I, 326: nulla tuarum audita mihi neque visa sororum. IX, 739: nulla hinc exire potestas. XI, 104: nullum cum victis certamen et aethere cassis. XI, 362: Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes. Ciris 180: nullus in ore rubor. Similiter Prop. IV, 13, 61. IV, 14, 26. Ov. Her. X, 61. Ars am. II, 537. III, 460. Fast. IV, 444. VI, 746. Juv. II, 8. VI, 180. VII, 30. VIII, 65. XII, 111. XIV, 224. Stat. Achill. I, 423. Theb. V, 59. 185. VI, 163. 456. X, 656. XI, 265. XI, 367. XII, 31. 217. Luc. Phars. X, 407. Sil. It. Pun. III, 290. III, 487. VI, 305 (erat). XIV, 91. XVII, 220. Val. Arg. I, 549. II, 57. III, 365. IV, 315. VI, 464. In enuntiatione relativa Val. Arg. I, 846: et quorum populis jam nulla

cupido. V, 597: cui nulla minanti non superum, non praesentis reverentia bello. Dativus „nulli" sine copula legitur his tribus locis: Verg. Aen. VI, 673: nulli certa domus; lucis habitamus opacis riparumque toros. Stat. Theb. X, 34: Nulli ex hoste metus. XI, 758: nulli sua signa suusque ductor. Verg. Aen. II, 137: Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi. Cf. X, 121. VIII, 251: neque enim fuga jam super ulla pericli. Stat. Theb. II, 591: nec vis conatibus ulla, sed ipsae in socios errare manus. XI, 601: Nec vox ulla seni; jacet inmugitque cruentis vulneribus. — Similes locutiones inveniuntur: Sil. It. Pun. XI, 430. XIV, 50. XVI, 256. VI, 68. Val. Arg. I, 26. I, 541. III, 318. IV, 590. V, 297. VI, 37. Stat. Theb. XII, 703: non pharetris quisquam, non ense decorus, non spectandus equo. Val. Arg. VI, 594: nec nunc laude prior generis, nec sanguine quisquam. Verg. Aen. VI, 509: Ad quae Priamides: nihil o tibi amice relictum; omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris. IX, 262: nihil illo triste recepto. Ov. Am. III, 2, 48: Nil mihi cum pelago; me mea terra capit. Similia exempla sunt: Juv. VIII, 65. Stat silv. III, 1, 142. V, 1, 143. Theb. III, 632. VI, 394. VII, 131. VII, 455. VIII, 111. XII, 442. Juv. IV, 8: Nemo malus felix, minime corruptor et idem incestus. Sil. It. Pun. II, 506: Nemo insons. Verg. Ecl. III, 60: Ab Jove principium: Jovis omnia plena. Aen. IV, 705: Sic ait et dextra crinem secat: omnis et una dilapsus calor, atque in ventos vita recessit. Verg. Aen. VI, 624: ausi omnes immane nefas ausoque potiti. Hor. Sat. II, 2, 45: Necdum omnis abacta pauperies epulis regum. Confer Juv. III, 183. IX, 12. Stat. silv. III, 3, 50. Theb. VIII, 320. VIII, 746. XI, 189. Sil. It. Pun. VII, 577. XVI, 486. Val. Arg. IV, 540. V, 63. VI, 331. 439. III, 701: cunctus ad Alciden versus favor. Verg. Georg. III, 4: Cetera quae vacuas tenuissent carmine mentes, omnia jam volgata. Sil. It. Pun. XII, 375: Cetera propensae Cereris nutrita favore. Val. Arg. IV, 692: nam cetera caelo debita. Tib. IV, 1, 180: aeterno proprior non alter Homero. Ov. ex Pont. III, 3, 21: neque enim mihi notior alter. Trist. I, 9, 25: neque enim moderatior alter. Vide Stat. silv. V, 1, 85. Theb. VII, 110. Sil. It. Pun. XII, 222. Val. Arg. I, 191. Verg. Aen. V, 298: quorum alter Acarnan, alter ab Arcadio Tegeaeae sanguine gentis. VI, 89: alius Latio jam partus Achilles, natus et ipse dea. Prop. V, 2, 19: alius mihi nominis index. Verg. Georg. II, 412: durus uterque labor. III, 118: aequos uterque labor. Ov. Am. II, 14, 31: Utraque saeva parens; sed tristibus utraque causis jactura socii sanguinis ulta virum. Ov. Her. XX. 70: Hesionen Telamon, Briseïda cepit Achilles: utraque victorem nempe secuta virum. Trist. V, 10, 49: Utraquo poena gravis. Fast. V, 139: Servat uterque domum; domino quoque fidus uterque. V, 720. Mart. IX, 52, 4. Stat. silv. II, 1, 76. Theb. VIII, 494. VI, 341. VI, 350: crudelibus ambo exuviis diroque imbuti sanguine currus. VI, 374: Ambo pii carique ambo; nequeam ipse priorem dicere. XI, 36: Felices ambo, sed fortunatior ille. XI, 102. Verg. Aen. X, 376: totidem nobis animaeque manusque. Val. Arg. V, 496: Ossa dabat Pindusque rates quotque ante secuti inde nec audacem Bacchum nec Persea reges. Verg. Georg. II, 301: tantus amor terrae. IV, 205: tantus amor florum et generandi gloria mellis. Ov. Trist. IV, 4, 53: Tantaque in Augusto clementia. Cf. Juv. X, 306. Stat. silv. III, 4, 20. IV, 6, 35. Achill. I, 225. Theb. III, 296. Juv. X, 97. Verg. Ecl. V, 45: Tale tuum nobis carmen, divine poeta, quale sopor fessis in gramine, quale per aestum dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo. Juv. XI, 99: Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex. Stat. silv. I, 3, 7: Talis hiems tectis. Val. Arg. VI, 361: Talis utrimque labos. Sil. It. Pun. IX, 422: Flaminius modo talis. XII, 306: Talia corda virûm.

XV, 400: Sed non et talis Hiberis armorum eventus campis (erat). „Quanto" cum comparativis conjunctum legimus Ov. Met. XIII, 367: quanto dux milite major: tantum ego te supero. Hor. Sat. II, 1, 21: Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu. Ov. Am. I. 6, 46. Juv. X, 14. XIV, 312. Stat. Theb. III, 158. „Quantus" in exclamationibus Stat. Theb. III, 210: Quantus equis quantusque viris in pulvere crasso sudor! V, 164: Talia cernenti mihi quantus in ossibus horror! VIII, 183: quanta sacro sub pectore virtus! Juv. VII. 184: Quanticunque domus, veniet qui fercula docte componat. „Quanti" legitur Hor. Sat. I, 6, 112: percontor, quanti olus ac far. II, 3, 156: Quanti emptae? Juv. VI, 151: Quantulum enim hoc? 254: nam quantula nostra voluptas? Ov. Fast. IV, 516: tecta suae subeat quantulacumque casae. Juv. VI, 255: Quale decus rerum, si conjugis auctio fiat. Stat. silv. IV, 8, 30: vel qualis coli facies, ubi nocte serena admovere jubar mediae duo sidera lunae. Cf. Theb. III, 56. IV, 351. VI, 354. IX, 242. Juv. V, 24: Qualis coena tamen? Mart. XI, 3: Quale decus formae! Ov. ex Pont. II. 3, 58: vela regis quassae qualiacumque ratis. II, 5, 10: illa tuus juvit qualiacunque favor. Juv. XV, 50: qualiacunque unguenta et flores multaeque in fronte coronae. Verg. Aen. I, 78: Tu mihi quodcunque hoc regni, tu sceptra Jovemque concilias. Prop. I, 4, 24: Nullas illa suis contemnet fletibus aras, et quicumque sacer, qualis, ubique, lapis. Ov. Met. V, 217: tuaeque saxificos vultus, quaecumque ea. tolle Medusae tolle, precor. XIV, 600: Hunc jubet Aeneae quaecumque obnoxia morti, abluere et tacito deferre sub aequora cursu. Ars am. II, 661: Dic habilem, quaecumque brevis, quae turgida, plenam. Cf. Trist. III, 5, 36. Stat. Theb. X, 393. IV, 446.

VIII.

Adverbia quantitatis et comparationis, quae omisso verbo copulativo poetae libenter usurpant, sunt satis, parum, tantum, quantum, sic, ita, ut, tam, quam, adeo, quo pertinent haec exempla.

Satis vel sat cum infinitivo conjunctum: Hor. Sat. II. 4, 48: Nequaquam satis in re una consumere curam. Sat. silv. I, 2, 169: Satis o nimiumque priores despexisse procos. I, 5, 8: Naïdas — elicuisse satis. Theb. I, 33: Satis arma referre Aonia et geminis sceptrum exitiale tyrannis. Vide IV, 202. IX, 812. Sil It. Pun. VI, 609. VII, 405. IX, 521. XIII. 850. Val. Arg. IV, 519. Aliae elocutiones sunt Stat. silv. V, 2, 93: Satis haec lacrimandaque nobis ultio. Theb. VII, 367: Hoc satis. X, 330. Prop. IV, 5, 2: sat mihi cum domina proelia dura mea. Sil. It. Pun. XVII, 613: mihi satque superque, ut me Dardaniae matres atque Itala tellus, dum vivam, exspectent, nec pacem pectore norint. Verg. Aen. II. 314: Arma amens capio, nec sat rationis in armis. II, 291: sat patriae Priamoque datum. Similiter Sil. It. Pun. II, 561. Val. Arg. III, 688. IV, 66: Sat tibi furtum ignis et aetheriae defensa silentia mensae. Parum. Ov. Her. III, 25: Non repetisse, parum. IX, 47: Haec mihi ferre parum? Fast. VI, 431: Sub Priamo servata parum. Sic ipsa volebat. Tantum. Verg. Georg. IV, 450: Tantum effatus. Aen. VI, 547: Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit. Eadem elocutio legitur Verg. Aen. X, 256. 877. Stat. Theb. II, 217: Tantum ausae perferre manus. Quantum. Stat. silv, I, 2, 199: Quantum non clamatus Hylas.

Sic. Hor. Od. I, 33, 10: Sic visum Veneri. Ov. Met. I, 366: Sic visum superis. Stat. Theb. III, 206: sic dira sororum pensa dabant visumque Jovi. Hor. Sat. II, 6, 22:

sic dis placitum. Verg. Aen. I, 283: Sic placitum. Juv. III, 159: Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni. Hor. Epod. IV, 3: sic Jovi gratum. Stat. Theb. V, 426: arcana sic fama erumpere porta coelicolas. „Sic fama“ legitur etiam VI, 893. Luc. Phars. III, 215. Sil. It. Pun. VIII, 190. Verg. Aen. II, 44: sic notus Ulixes? Stat. Theb. VIII, 176: sic gratus Apollo? VII, 634: sic fessa manus, venit hasta per armos. IX, 516: Sic ego fida meis? Luc. Phars. IX, 922: Sic nox tuta viris. Stat. silv. I, 2, 275: Sic damna decoris nulla tibi. Stat. Theb. XII, 583: Sic tibi non ullae socia sine Pallade pugnae. Ov. Met. XIII, 28: Sic ab Jove tertius Ajax. Val. Arg. V, 563: sceptri sic omnibus una cupido. III, 282: sic omnis ad unum versa manus. Verg. Aen. II, 355: sic animis juvenum furor additus. Mart. VIII, 80, 5: Sic priscis servatus honos te praeside templis. Luc. Phars. IX, 293: sic voce Catonis inculcata viris justi patientia martis. Saepissime vero verba deponentia copula carent, si iis adverbium sic adjunctum est, in dictionibus, quales sunt sic orsus, sic fatus, sic adfatus, sic interfatus, sic deinde locutus, sic ore locutus, sic egressus, sic ingressus, sic amplexus. Verg. Aen. I, 325: Sic Venus, et Veneris contra sic filius orsus. II, 2: inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto. VI, 562: Tum vates sic orsa loqui. XII, 806: Sic Juppiter orsus. Ov. Met. VI, 28: Tum sic orsa loqui. V, 300: Miranti sic orsa deae dea. Cf. Stat. Achill. II, 305. Theb. VII, 247. X, 125. Luc. Phars. X, 85. X, 193. Sil. It. Pun. XIII, 70. XVII, 370. Val. Arg. V, 552. Verg. Aen. II, 554: Sic fatus senior, telumque inbelle sine ictu conjecit. Stat. Achill. I, 141: Trade magis! Sic fata parens; neque enim ille dedisset. Theb. I, 510: Sic fatus et ambos innectens manibus tecta ulterioris ad aulae progreditur. Cf. III, 496. V, 689. VII, 390. X, 271. XII, 166. XII, 773. Ov. Met. VI, 348: Dea sic adfata vetantes. Verg. Aen. V, 303: Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus. IX, 319: Prior Hyrtacides sic ore locutus. Val. Arg. VIII, 36. Verg. Aen. VII, 212: Dixerat et dicta Ilioneus sic voce secutus. Stat. Theb. II, 188: Sic interfatus, et alter subicit. Val. Arg. II, 277: Sic medios egressa metus. Cf. Sil. It. Pun. XI, 500. Stat. Theb. IX, 115.

Ita. Ov. Trist. II, 133: ita principe dignum. Stat. Theb. VII, 236: ita dulce Jovi. Ov. Trist. IV, 8, 15: Non ita dis visum. Ov. Met. VII, 517: Aeacus ingemuit, tristique ita voce locutus. Verg. Aen. XI, 396: Haud ita me experti Bias et Pandarus ingens. Cf. Sil. It. Pun. XII, 501. Val. Arg. IV, 360. Ut. Verg. Georg. IV, 95: Ut binae regum facies, ita corpora plebis. Cf. Ov. Ars. am. I, 275. Stat. Theb. X, 180: Stant circum subiti proceres, ut quisque perempto proximus. V, 8. Ov. ex Pont. I, 2, 111: ut scilicet exule dignum. Sil. It. Pun. XVII, 330. Luc. Phars. X, 400: Haud clara movendis, ut mos, signa dedit castris. Verg. Georg. IV, 318: Pastor Aristaeus fugiens Peneia tempe amissis, ut fama, apibus morboque fameque tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis. Eodem modo „ut fama“ invenitur Stat. Theb. II, 48. Luc. Phars. IX, 348. IX, 356. Val. Arg. V, 553. Tam. Verg. Aen. VII, 787: tam magis illa fremens et tristibus effera flammis, quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae. Cf. 329. Prop. II, 9, 34: nec folia hiberno tam tremefacta noto. Vide Ov. Am. II, 7, 25. Val. Arg. IV, 551. Quam. Stat. Theb. II, 550: quos ubi plures, quam ratus, innumeris videt excursare latebris. Cf. III, 375. Stat. silv. I, 1, 88: Vix lumine fesso explores, quam longus in hunc despectus ab illo. Cf. I, 2, 218. Adeo. Val. Arg. V, 40: Magna adeo comitum numerosaque pubes? Stat. Theb. VII, 156: Saeva adeo conjux?

IX.

Pronomina demonstrativa hic, ille, iste aeque ac pronomina determinativa is, idem, ipse saepissime omisso verbo copulativo ponuntur, ut vis δεικτική, quae his pronominibus plus minusve adhaeret, in sententiis elliptice dictis vigeat.

Hic. Pronomen hic ad substantivum pertinet Hor. Sat. II, 2, 69: vitium hoc quoque magnum. Verg. Georg. IV, 100: Haec potior suboles. IV, 532: Haec omnis morbi caussa. Aen. I, 253: Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis? X, 116: Hic finis fandi. Cf. XI, 54. 739. Prop. I, 18, 1. V, 1, 135. 2, 58. Ov. Met. XI, 754. Amor. II, 17, 21. Juv. IX, 27. XI, 46. XV, 52. 133. Pers. V, 82. Stat. silv. II, 1, 137. IV, 2, 13. 3, 40. Achill. II, 405. Theb. I, 530. III, 273. 482. IV, 299. V, 626. VI, 730. 817. VII, 705. IX, 205. 340. XI, 335. 524. 682. XII, 205. 552. 761. Luc. Phars. IV, 601. VI, 587. Sil. It. Pun. X, 306. XIII, 136. XVII, 618. Val. Arg. IV, 26. Pronomen hic cum negatione conjunctum est Verg. Aen. IX, 737: non haec dotalis regia Amatae. XII, 156: Non lacrumis hoc tempus! Ov. Met. VI, 210: Nec dolor hic solus. Similis est ellipsis XIII, 319. ex Pont. II, 6, 25. Fast. I, 447. Stat. Theb. I, 471. IV, 200. IX, 661. X, 189. Graviter repetitur hic Verg. Aen. III, 714: Hic labor extremus, longarum haec meta viarum. Prop. IV, 9, 19: Hic satus ad pacem, hic castrensibus utilis armis. Ov. Ars am. I, 39: Hic modus. Haec nostro signabitur area curru. Cf. Fast. II, 259. Juv. X, 89. Pers. I, 87. Stat. silv. II, 1, 214. Achill. I, 70. 404. II, 387. Theb. IX, 186. IX, 554. X, 711. Sil. It. Pun. XIII, 490. Val. Arg. V, 514. Conferuntur inter se pronomina hic-ille, hic-iste, hic-is Verg. Aen. III, 558: nimirum haec illa Charybdis. Ov. Fast. IV, 379: Haec ait illa dies. Stat. Theb. VI, 379. Sil. It. Pun. XIII, 196: Hic mirabilis arcu, ille hastam quatere. Ov. Her. IX, 24. Val. Arg. III, 699: non hi tum flatus, non ista superbia dictis. Sil. It. Pun. III, 349: Haec requies ludusque viris, ea sacra voluptas. Pronomen hic adjectivis quum absolutis, tum comparativis verbo copulativo omisso additum reperitur Ov. Ars am. III, 122: Prisca juvent alios. Ego me nunc denique natum gratulor. Haec aetas moribus apta meis. Juv. VI, 614: Tamen hoc tolerabile. Stat. Theb. X, 250. silv. IV, 3, 134. Ov. Amor. II, 4, 46: Haec melior specie corporis, illa sapit. Confer II, 10, 15. III, 9, 47. ex Pont. I, 5, 17. Juv. XII, 1. Mart. V, 25, 7. Sil. It. Pun. XIII, 285. Adverbium satis sine copula adjectum est Verg. Georg. III, 286: Hoc satis armentis: superat pars altera curae. Ov. Am. III, 2, 34. Juv. VIII, 71. Pers. III, 27. Mart. XI, 52, 12. Sil. It. Pun. XVII, 284. Val. Arg VII, 201. Juv. VI, 614. Nonnumquam participia perfecti cum pronomine hic conjuncta verbi copulativi expertia sunt. Commemoro participia datus, debitus, cognitus, susceptus, damnatus, oppositus, spectatus, transmissus, visus, profectus. Cf Verg. Aen. VI, 431: Nec vero hae sine sorte datae, sine judice, sedes. XII, 296: Hoc habet, haec melior magnis data victima divis. Juv. X, 243. XIII, 10. XIV, 165. Prop. II, 9, 25. Ov. Ars am. II, 589. Stat. Achill. II, 126. Theb. X, 630. 664. Luc. Phars. III, 533. 378. Sil. It. Pun. III, 61. Stat. Theb. X, 630. 664. Participia fatus et effatus accusativum pronominis hic regentia verbo copulativo carent Val. Arg. IV, 54: Haec fatus. Verg. Aen. V, 653: Haec effata. Cf. IV, 456. Ille. Cum substantivis conjunctum legitur Verg. Ecl. V, 64: ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca! Ov. Her. XII, 202: Aureus ille aries villo spectabilis aureo dos mea. Juv. X,

271: Exitus ille utcumque hominis. Mart. VIII, 51, 22: auctor enim tanti muneris ille mihi. Stat. silv. V, 2, 47. Theb. VI, 166. VIII, 664. IX, 227. In enuntiatione negativa Verg. Aen. IX, 480: non illa virum, non illa pericli telorumque memor. XII, 414: non illa feris incognita capris gramina. Georg. II, 125. Tib. IV, 6, 10. Ov. Met. V, 609. Stat. silv. I, 4, 52. Repetitur pronomen Cat. 68, 35: hoc fit quod Romae vivimus: illa domus, illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas. Val. Arg. I, 344. Juv. X, 227. Adjectiva pronomini addita sunt Ov. Met. V, 133: Letifer ille locus. Am. II, 2, 30: Ille potens. Alii sordida turba jacent. II, 13, 3. Her. VII, 27. Fast. II, 609. III, 500. Stat. silv. I, 1, 14. III, 2, 65. Theb. III, 417. VI, 324 (erat). VIII, 621. IX, 620. XII, 682. Val. Arg. IV, 755. Cum comparativis et superlativis pronomen conjunctum est Juv. VI, 434: Illa tamen gravior. VII, 202: Felix ille tamen corvo quoque rarior albo. Mart. V, 22, 9. Stat. silv. I, 2, 89. Theb. III, 481. IV, 115. V, 56. VI, 117. VIII, 122. VIII, 338. X, 866. Ov. Fast. II. 570. Juv. VI, 369. Participia „deprensus, genitus, natus, territus, visus, oblitus, passus, miseratus, miratus, affatus“ verbo est omisso sequuntur pronomen Ov. Met. XIII, 305. Juv. X, 129. Sil. It. Pun. IX, 565. Stat. Theb. V, 553. IX, 584. Prop. III, 29, 26. Verg. Aen. V, 334. I, 3. Stat. Achill. II, 408. Val. Arg. IV, 547. Verg. Georg. I, 466. Stat. silv. V, 2, 36. Stat. Achill. I, 251. Iste. Mart. XIV, 95: nam Myos iste labor. Cf. Juv. XI, 168. Stat. silv. III, 3, 48: Nec pudor iste tibi. V, 1, 237. Theb IX, 712: Nec soli ferus iste tibi. X, 588. V, 751. Is. Substantiva pronomini addita sunt Verg Georg. I, 432: namque is certissimus auctor. Aen. III, 660. Ov. Met. V, 258: Is mihi causa viae. Trist. V, 14, 28: id demum pietas, id socialis amor. Stat. Theb. II, 89: Nox ea. V, 215. IX, 159. X, 105. Sil. It. Pun. VII, 209. XI, 167. XIII, 471. In enuntiatione negativa Val. Arg. III, 664: Non ea fax odiis oblitave numine fesso Juno sui. Verg. Aen. I, 529: non ea vis animo nec tanta superbia victis. IX, 748. Pronomen cum adjectivis conjunctum est Sil. It. Pun. VII, 160: Dives ea, et nunquam tellus mentita colono. Juv. VI, 413. X, 183. Cum participio „visus“ Verg. Georg. III, 510: ea visa salus morientibus una. Stat. Theb. VI, 697. VIII, 297. Idem. Sil. It. Pun. XV, 397: Alterius par atque eadem fortuna laborum consulis (fuit). Val. Arg. II, 561: sator unus et idem stirpis honos. Verg. Georg. III. 244: Amor omnibus idem. Aen. III, 60: Omnibus idem animus, scelerata excedere terra. X, 112: Rex Juppiter omnibus idem. Eodem modo formulae „omnibus, cunctis, ambobus idem“ usurpatae sunt Stat. Achill. I, 290. Theb. IV, 398. V, 148. IX, 25. X, 220. Val. Arg. IV, 193. V, 477. Juv. XI, 149. Sil. It. Pun. IX, 403. Alii dativi pronomini verbo copulativo omisso adjuncti sunt Ov. Fast. II, 25: Nomen idem ramo. V, 487: Nec viduae taedis eadem nec virginis apta tempora. Juv. VI, 349: Jamque eadem summis pariter minimisque libido. Stat. silv. V, 4, 5: nec trucibus fluviis idem sonus. Confer Theb. IV, 84. VI, 266. 343. 870. IX, 293. 675. X. 362. XII, 692. In enuntiatione negativa Stat. Theb. XII, 726: Jam nec Cecropiis idem ductoribus ardor. II, 611. VIII, 219. Sil. It. Pun. XIII, 163. IV, 709. Cum pronomine relativo Ov. Fast. VI, 267: Vesta eadem, quae Terra. Stat. Theb. VI, 396: Qui dominis, idem ardor equis. In enuntiatione relativa Verg. Aen. III, 503: quibus idem Dardanus auctor atque idem casus. Ipse. Verg. Aen. III, 571: Portus ab accessu ventorum immotus et ingens ipse, sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis. Cf. X, 280. XI, 801. XII, 240. Stat. silv. I, 4, 68. Theb. III, 601. VIII, 560. XI, 427. Sil. It. Pun. XIII, 663. Val. Arg. IV, 560.

X.

Ob eandem causam adverbia demonstrativa sive locum indicant sive tempus hic, illic, ibi, ibidem, hinc, dehinc, inde, nunc, tum, tunc et adverbia relativa ubi, qua, quacumque, unde omisso verbo copulativo saepenumero usurpantur, interdum ita quidem, ut oratione fervidiore aut repetantur aut inter se componantur veluti hic — illic, hic — ibi, hic — hinc, hinc atque inde, hac — qua. Exempla sequuntur.

Hic. Ov. Met. III, 622: pars hic mihi maxima juris. Verg. Georg. II, 149: Hic ver adsiduum atque alienis mensibus aetas. II, 5. Aen. V, 630: Hic Erycis fines fraterni atque hospes Acestes. Cf. VI, 698. VIII, 39. IX, 602. Tib. I, 3, 5: non hic mihi mater. Confer Stat. silv. II, 1, 208. II, 2, 85. Stat. Theb. I, 522. III, 598. XII, 762. Stat. Achill. I, 112. Val. Arg. VIII, 145. Sil. It. Pun. XIII, 369. Verg. Aen. I, 452: hic primum Aeneas sperare salutem ausus. VI, 660: Hic manus ob patriam pugnando volnera passi. Hic — hic. Verg. Ecl. VII, 49: Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis semper et adsidua pestes fuligine nigri. X, 43: hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori, his nemus. Cf. II, 30. Prop. IV, 13, 23. Ov. Hal. 66. Juv. II, 110. III, 180. Stat. silv. I, 3, 29. III, 1, 144, III, 5, 75. V, 2, 144: hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas affari. Stat. Theb. XI, 699. XII, 335. Sil. It. Pun. XIV, 652. XV, 412. Tib. IV, 1, 40: Nec tamen hic aut hic tibi laus majorve minorve. Illic. Verg. Aen. II, 783: Illic res laetae regnumque et regia conjunx parta tibi. Ov. Met. I, 15: utque aether, tellus illic et pontus et aer. Stat. silv. I, 4, 71: illic quoque clarus et ingens eloquio. Cf. Achill. II, 124. Theb. VI, 206. Ibi. Mart. XII, 3, 16: Fons ibi Castalius vitreo torrente superbus. Val. Arg. IV, 602: Inclita Amazonidum magnoque exorta Gradivo gens ibi. Cf. VI, 81. Stat. Achill. I, 454. Luc. Phars. X, 408. Ibidem. Juv. V, 40: custos affixus ibidem.

Hinc. Verg. Aen. IV, 483: Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos. Ov. Rem. am. 356: non semel hinc stomacho nausea facta meo. Cf. Val. Arg. I, 535. Verg. Aen. IV, 461. Dehinc. Stat. Theb. II, 101: dehinc tangere ramo pectora et hac visus fatorum expromere voces. VIII, 201: Fracta dehinc cunctis aversaque pectora bello. Confer Stat. silv. III, 3, 63. Inde. Ov. Met. XIV, 297: Inde fides dextraeque datae. Trist. III, 9, 34: inde Tomis dictus locus hic. Val. Arg. I, 271: omnibus inde viae calor additus. VII, 399: inde Venus dextrae dilapsa tenenti. Vide Juv. I, 168. III, 236. XIV, 173. Stat. silv. III, 2, 71. V, 3, 138. IX, 15. Stat. Theb. IV, 230. V, 364. 393. VII, 700. VIII, 254. Luc. Phars. I, 461. Sil. It. Pun. II, 612. V, 510. XI, 16. XVII, 408.

Nunc. Ov. Fast. III, 241: nunc foecundus ager. Stat. silv. IV, 7, 10: nunc ab intonsa capienda myrto serta, nunc major sitis. Stat. Theb. X, 342: Nunc tibi crudus honos, trunca arma cruorque virorum. Pers. V, 171: Nunc ferus et violens (es). „Nunc tempus“ legimus Stat. silv. V, 1, 135. 5, 43. Theb. X, 195. Sil. It. Pun. XI, 164. XVI, 427. „Nunc impetus“ Stat. Theb. X, 521. Alia exempla sunt Ov. Met. I, 660. Juv. XI, 120. Luc. Phars. IX, 263. Stat. silv. IV, 3, 37. Achill. I, 116. Theb. X, 483. 828. XI, 130. Sil. It. Pun. XII, 397. XVII, 197. Val. Arg. II, 396. III, 705. VI, 460. Tum, tunc. Verg. Georg. I, 341: Tum pingues agni et tum mollissima vina, tum somni dulces densaeque in montibus umbrae. Similiter III, 54. Aen. III, 228. Juv. VII, 96. XVI, 44. Stat. silv. III, 2, 76. Achill. II, 392. Theb. IV, 307. V, 450. Luc. Phars. I, 570. Tib. II, 1, 43: Tum victus abiere feri, tum consita pomus. Verg. Aen. I, 730: tum facta silentia

tectis. Stat. Achill. II, 251: Tunc epulis consumpta dies. Stat. Theb. XI, 497: Tunc vero accensae stimulis majoribus irae. Sil. It. Pun. II, 592: Tum vero excussae mentes. XI, 362: Lacrimae tunc ore profusae. XI, 278: Tum fronti reddita demum laetitia et positae graviores pectore curae. Verg. Aen. IV, 632: Tum breviter Barcen nutricen adfata Sychaei. Vide Ov. Ars am. II, 727. Hor. Epod. XVII, 18. Verg. Georg. I, 140. Aen. II, 624. V, 462. Stat. silv. I, 2, 161. Theb. II, 71. 86. III, 38. IV, 552. V, 420. 42. VII, 440. Luc. Phars. III, 10. Sil. It. Pun. IX, 78. XV, 324. Val. Arg. V, 34. VII, 208. VIII, 296.

Ubi. Verg. Georg. II, 180: Difficiles primum terrae collesque maligni, tenuis ubi argilla et dumosis calculus arvis. III, 144: muscus ubi et viridissima gramine ripa. IV, 49: aut ubi odor caeni gravis aut ubi concava pulsu. Similiter Verg. Aen. III, 105. VII, 764. IX, 585. Pers. I, 72. Stat. Theb. III, 110. V, 443. Luc. Phars. IV, 72. Verg. Georg. II, 312: hoc ubi. Verg. Aen. VII, 400: audite, ubi quaeque, Latinae. Sil. It. Pun. V, 269: ubi plurima virtus, nullique expirare vigor, decus inde petebat. Confer Stat. Theb. IX, 165. VIII, 690. V, 628. XII, 632. III, 606. I, 699. II, 677. VI, 338. Stat. Achill. I, 405. — Verg. Aen. VII, 131: ubi moenia gentis (sint), vestigemus. Stat. silv. III, 2, 19: Quaerentes, ubi celsa ratis (sit). Qua. Verg. Aen. I, 83: qua data porta, ruunt. Ov. Met. VII, 361: quaque pater Corythi parva tumulatus arena. Verg. Aen. VIII, 594: qua proxuma meta viarum, armati tendunt. XII, 507: qua fata celerruma. Ov. Met. V, 253: quaque super pontum via visa brevissima. Vide Ov. Met. V, 613. XI, 336. Ars am. I, 73. Am. II, 18, 35. Stat. silv. IV, 18, 10. Achill. II, 77. Theb. V, 351. 496. X, 267. 846. Val. Arg. III, 200. V, 328. Luc. Phars. IX, 852. Sil. It. Pun. I, 25. XV, 147. 812. Unde. Verg. Aen. II, 462: unde omnis Troja videri et Danaum solitae naves. Hor. Od. I, 12, 7: unde vocalem temere insecutae Orphea silvae. Val. Arg. IV, 347: unde haec data nomina ponto. Cf. Verg. Georg. II, 479. Aen. I, 7. 743. III, 507. V, 123. Stat. Theb. II, 268. 558. III, 182. IX, 80.

XI.

Pronomina personalia, imprimis ego et tu, graviter dicta verbum copulativum quam saepissime repudiant. Ejusmodi ellipsis rationem reddant haec exempla.

Ego. Pronomen ego cum nominibus propriis conjunctum reperitur Verg. Ecl. V, 43: Daphnis ego in silvis. Aen. III, 45: Nam Polydorus ego. Prop. III, 12, 34. V, 2. 3. Ov. Rem. am. 5. Mart. VIII, 56, 53. Cum nominibus appellativis Hor. Sat. I, 8, 3: Deus inde ego. Verg. Aen. XII, 159: auctor ego audendi. Tib. I, 1, 75: Hic ego dux milesque bonus. Ov. Met. X, 606: Pronepos ego regis aquarum. Stat. silv. I, 1, 78. 2, 82. Achill. II, 59. Theb. I, 225. VII, 164. IX, 52. 558. XII, 378. 397. Juv. I, 1. Sil. It. Pun. XI, 563. Val. Arg. IV, 463. VII, 232. Cum adjectivis Hor. Sat. II, 3, 236: segnis ego indignus. Verg. Aen. V, 414: his ego suetus. Pers. V, 124: liber ego. Stat. silv. V, 5, 13. Theb. X, 429. Val. Arg. I, 343. In enuntiatione negativa Verg. Ecl. IX, 34: sed non ego credulus illis. Prop. III, 29, 33: Non ego tam facilis. Ov. Fast. IV, 599: non ego nobilior. Her. X, 143: si non ego causa salutis. Luc. Phars. VI, 594: non ultima turbae pars ego Romanae. VIII, 647. Val. Arg. II, 471. VIII, 430. Cum participiis pronomen ego conjunctum est Verg. Aen. XI, 392: Pulsus ego? Ov. Met. VI, 537: pelex ego facta sororis. Trist. II, 496: repertus ego. Alii loci sunt Stat. Theb. V, 34: illa ego nam. VIII, 667: ille ego. Ov. Trist. II, 568: unus ego.

Tu. Pronomen tu cum substantivis conjunctum legitur Verg. Ecl. V, 34: tu decus omne tuis. Verg. Aen. IV, 113: tu conjunx. V, 789: ipse mihi nuper Libycis tu testis in undis (fuisti). VII, 49: tu sanguinis ultimus auctor. XII, 57. Tib. IV, 13, 11. Prop. I, 11, 23. 16, 35. II, 6, 19. Ov. Met. XV, 40. Her. XV, 123. Fast. II, 132. IV, 8. Juv. VIII, 38 (sis). Stat. silv. II, 1, 70. III, 3, 197. IV, 8, 41. V, 3, 190. Achill. II, 194. Luc. Phars. I, 84. VII, 675. Val. Arg. VII, 38. 223. Cum adjectivis et absolutis et comparativis Verg. Ecl. III, 109: vitula tu dignus et hic. Juv. XIV, 275: tu propter mille talenta et centum villas temerarius. Stat. Theb. IX, 396: tu piger et trucibus facilis servire Pelasgis. XI, 396. silv. I, 4, 125. Verg. Ecl. V, 4: tu major. Ov. Her. V, 109: tu levior foliis. Mart. VII, 95, 9: sed tu dulcior elegantiorque. XII, 52, 7. Stat. silv. I, 1, 25. III, 5, 50. Stat. Theb. II, 187. X, 655. In enuntiatione negativa pronomen legitur Ov. Met. VIII, 122: nec Jove tu natus. Amor. II, 3, 7: non tu natus equo, non fortibus utilis armis. Participiis perfecti verborum deponentium sum non additum est Verg. Georg. III, 393: nec tu aspernata vocantem. Ov. Fast. III, 505: cui tu solitus promittere coelum. Stat. silv. I, 2, 90: tu veteres, juvenis, transgressus amores. IV, 1, 33: tu juvenis praegressus avos. Theb. II, 657: et tu, ni fallor, iniquo pollicitus mea colla duci. II, 686: ni tu consilio dignata virum.

Nos. Verg. Aen. II, 25: nos abiisse rati et vento petiisse Mycenas. Stat. Theb. III, 564: nos pravum ac debile vulgus scrutati penitus superos. II, 187: nos vero volentes expositique animis. V, 120: at nos vulgus iners. Vos. Verg. Aen. I, 202: vos et Cyclopea saxa experti. Ov. Fast. V, 465: si vos modo vera locuti. Juv. VIII, 44: vos humiles. Stat. Theb. VIII, 480: vos praeda cruenti Tydeos. Verg. Ecl. V, 21: vos coryli testes et flumina nymphis.

Nonnumquam etiam pronomina possessiva, graviter dicta, sine copula posita sunt veluti Verg. Aen. IX, 428: mea fraus omnis. Stat. silv. V, 5, 69: meus ille, meus. Stat. Achill. I, 528: meus iste, meus. Verg. Ecl. III, 108: non nostrum inter vos tantas componere lites. Ov. Hal. 82: noster in arte labor positus. Stat. Theb. XI, 486: noster hic campus, nosterque dies. Val. Arg. II, 251: nostrum hoc facinus. Ov. Fast. VI, 475: vestrum Matralia festum. Stat. Theb. IX, 318: Vestrum opus ire retro et senium defendere formae.

XII.

Multifariam gravitas sententiarum ellipsi verbi copulativi in his generibus loquendi augetur.

1. Substantiva verbo copulativo omisso inter se connectuntur in exemplis qualia sunt Prop. II, 47: laus in amore mori: laus altera, si datur uno. Tib. I, 10, 26: hostiaque e plena rustica porcus hara. Ov. Met. XIV, 385: sed amans et laesa et femina Circe. Fast. I, 705: pax Cererem nutrit; pacis alumna Ceres. Juv. V, 14: fructus amicitiae magnae cibus. Stat. Theb. VII, 276: tela rudes trunci, galeae vacua ora leonum. VII, 312: hasta vetustum silvarum decus. III, 615: virtus mihi numen et ensis, quem teneo. In enuntiatione relativa Hor. Od. I, 14, 17: nuper sollicitum quae mihi taedium, nunc desiderium curaque non levis. Ov. Met. XIV, 109: cujus dextera per ferrum, pietas spectata per ignes. Juv. III, 14: quorum cophinus foenumque supellex. Nominativus et dativus componuntur Verg. Georg. I, 215: vere fabis satio. IV, 141: illis tiliae atque uberrima pinus. Ov. ex Pont.

II, 2, 96: at mihi Sauromatae pro Caesaris ore videndi terraque pacis inops undaque juncta gelu. Nominativus nomini cum praepositione conjuncto additur; imprimis sic inveniuntur praepositiones in et penes. Stat. Theb. X, 29: in manibus merces. Sil. It. Pun. XII, 196: campus et arma et Mars in manibus. Stat. Theb. VIII, 309: te penes et pecudem gens mitis et volucrum requies. III, 80: hos regni ferrum penes. IV, 557: manus omnis in armis, omnis et in capulo.

2. Si in hominibus rebusque describendis plura subjecta et praedicata exsistunt, ea quae personis rebusque attribuuntur, saepissime sine copula dicta sunt, veluti Verg. Georg. III, 500: demissae aures, incertus ibidem sudor et ille quidem morituris frigidus. Ov. Trist. V. 7, 17: vox fera, trux vultus, verissima Martis imago, non coma, non ulla barba resecta manu: dextera non segnis fixo dare vulnera cultro. Juv. II, 14: ingenium velox, audacia perdita, sermo promptus et Isaeo torrentior. — Exempla si quaeres, invenies multa. Cf. Verg. Georg. III, 80. IV, 277. Aen. III, 216. 619. IX, 452. Ov. Met. II, 855. Her. XVII, 181. Trist. V, 7, 17. Juv. II, 14. III, 73. 187. 247. VIII, 177. IX, 12. XV, 115. Stat. silv. V, 1, 64; 2, 63. Theb. II, 85. IV, 702. VII, 43. 111. X, 286. 556. XII, 107. 489. Sil. It. Pun. I, 58. 524. 583. III, 28. 326. VIII, 609. XII, 370. XIII, 334. XIV, 530. XV, 28. XVI, 173. Luc. Phars. II, 152. Val. Arg. III, 50. Post dativum prononimis relativi haec ellipsis frequens est veluti Verg. Aen. VII, 746: horrida praecipue cui gens adsuetaque multo venatu nemorum, duris Aequicula glaebis. Alia exempla sunt ib. IV, 138. V, 214. X, 169. XI, 643. Stat. silv. II, 3. 40. Theb. VI, 187. 251. VII, 80. VIII, 535. IX, 321. X, 32. 698. XI, 541. XII, 357. 500. Sil. It. Pun. VII, 339. 600. X, 40. XV, 269. Val. Arg. I, 667. 788. III, 679. IV, 742. V, 357.

3. Si quid celeriter vel opinione celerius factum est, id quod interdum adverbiis protinus, extemplo, subito, repente, ilicet, jam positis indicatur, participia perfecti verbi passivi et deponentis sine verbo esse usurpata inveniuntur; imprimis autem afferenda sunt motus, emotus, pulsus, raptus, ereptus, extortus, demptus, ademptus, ruptus, tractus, fractus, refractus, turbatus, exturbatus, arrectus, concussus, excussus, versus, conversus, incensus, accensus, incitus, instauratus, partus, factus, effectus, perfectus, refectus, fusus, effusus, confusus, volutus, auditus, exauditus, repertus, inventus, victus, devictus. Legimus enim apud Stat. Theb. V, 71: protinus a Lemno teneri fugistis, Amores; motus Hymen versaeque faces. Verg. Aen. VI 382: his dictis curae emotae pulsusque parumper corde dolor tristi. Cf. Stat. Theb. I, 591. V, 1. Sil. It. Pun. VI, 592. Prop. V, 11, 66: consul quo factus tempore, rapta soror. Val. Arg. II, 665: hasque inter variis nox plurima dictis rapta vices nec non simili lux postera tracta. Cf. IV, 646. Verg. Ciris 214: at demptae subita in formidine vires. Hor. Epist. II, 2, 140: cui sic extorta voluptas et demptus per vim mentis gratissimus error. Cf. Verg Aen. III, 658. Stat. Theb. VII, 355. II, 125: illi rupta quies. Cf. Val. Arg. II, 665. Luc. Phars. I, 239. Stat. Theb. II, 146: at Inachio tenuis sub pectore regi tracta quies. Verg. Aen. II, 169: ex illo fluere ac retro sublapsa referri spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens. Sil. It. Pun. VII, 253: his dictis fractus furor. Verg. Aen. VIII, 4: extemplo turbati animi. Cf. XI, 451. XII, 269. Sil. It. Pun. XV, 759. Val. Arg. IV, 503. Stat. Theb. III, 693. Verg. Aen. V, 643: arrectae mentes stupefactaque corda Iliadum. XII, 868: olli membra novos solvit formidine torpor arrectaeque horrore comae. Cf. XII, 731. IV, 280. Val. Arg. II, 186:

Ilicet arrectae mentes. Sil. It. Pun. VII, 98: arrectae spes Sidoniae. Verg. Aen. IX, 588: Hoc fletu concussi animi. Stat. Theb. III, 92: excussae procerum mentes. Cf. Sil. It. Pun. X, 447. II, 184: affecit leto taedaeque ad funera versae. X, 625: et conversa repente pectora. Verg. Aen. II, 73: quo gemitu conversi animi compressus et omnis impetus. Cf. III, 298. Sil. It. Pun. II, 36: incensi dictis animi et furor additus armis. Val. Arg. III, 690: simul incita dictis heroum manus. Verg. Aen. II, 451: instaurati animi regis. VII, 598: nam mihi parta quies. Sil. It. Pun. X, 575: tibi gloria leto jam parta insigni. Cf. XV, 392. 654. Stat. Theb. VI, 181. Luc. Phars. V, 505. Val. Arg. I, 545: via facta per undas perque hiemes, Bellona, tibi. Verg. Aen. XI, 14: maxima res effecta, viri. Val. Arg. IV, 538: vota, senex, perfecta tibi. Stat. silv. I, 4, 112: citius non arte refectus Telephus Haemonia. Verg. Aen. VI, 686: effusaeque genis lacrimae. Hor. Sat. I, 8, 28: cruor in fossam confusus, ut inde manes elicerent. Verg. Aen. X, 770: lacrimaeque per ora volutae. VI, 426: continuo auditae voces. Val. Arg. VI, 32: voxque dei pariter pugnas audita per omnes. IV, 518. Verg. Georg. II, 350: jamque reperti. II, 416: jam vinctae vites. Aen. XII, 315: ictum jam foedus et omnes compositae leges. Ov. Met. VI, 519: jamque iter effectum. Cf. Ov. Am. III, 10, 29. Her. VI, 37. Verg. Aen. III, 136. V, 762. Stat. silv. II, 1, 15. IV, 5, 8. Achill. II, 225. Theb. II, 375. 671. VII, 573. X, 421. XI, 384. XII, 44. Val. Arg. I, 34. V, 111. Sil. It. Pun. III, 218. IV, 487. XIII, 393. XV, 322. Pers. VI, 80.

4. Si complures res deinceps breviter narrantur, participio perfecti passivi verbum esse non additur, veluti Ov. Her. V, 41: Caesa abies, sectaeque trabes et classe parata caerula ceratas accipit unda rates. Fast. VI, 549: Annuerat, promissa fides, posuere labores. Juv. II, 119: signatae tabulae; dictum Feliciter! ingens coena sedet. Stat. Theb. X, 18: dat tessera signum excubiis, positaeque vices; dux noctis opertae sorte Meges. Cf. V, 706. IX, 37. Achill. II, 188. Sil. It. Pun. IX, 364. XVII, 620. Val. Arg VI, 8. Verg. Georg. I, 477. Tib. I, 343. Apud Ovidium participia perfecti passivi verbo esse interdum carent, si aliis verbis contrariae notionis aut aliis temporibus sui verbi opponuntur, veluti Fast. V, 322: florebant segetes, grandine laesa ceres. Her. X, 76: si modo vivis, femina perjuri fraude sepulta viri. Met. XIII, 935: res similes fictae, sed quid mihi fingere prodest? Fast. IV, 863: dicta Pales nobis: idem Vinalia dicam.

5. Si complures res gestae particulis vix, vix — et jam, vixdum — et jam, nondum, necdum, necdum — sed, ut, ut primum, ubi adhibitis inter se comparantur, participia perfecti verbo esse carent. Verg. Aen. VIII, 337: vix ea dicta: dehinc progressus monstrat. II, 172: vix positum castris simulacrum, arsere coruscae — flammae. Cf. Ov. Met. XIV, 236. Stat. Theb. V, 479: vix reserata dies et jam rate celsus Jason ire jubet. Stat. silv. I, 2, 229: vixdum emissa dies et jam socialia praesto omina. Vide Stat. Achill. II, 145. Theb. VI, 469. XII, 415. — Sil. It. Pun. XV, 628: nondum arma manusque permixtae, jam tela bibunt. VI, 98: necdum exorta dies, Marus instat. Cf. II, 203. Stat. Theb. III, 199. Val. Arg. I, 53. — Stat. Theb. XI, 536: necdum letalia miscent vulnera, sed coeptus sanguis facinusque peractum. Ov. Fast. IX, 222: ut tacui, Pieris orsa loqui. Luc. Phars. IV, 417: ut primum — videre ducem: nova furta per aequor exquisita fugae. Stat. Theb. XII, 545: atque ubi — explorat causas victor poscitque benigna aure preces, ausa ante alias Capaneia conjux.

XIII.

